# DE VISIBILI ROM'ANARCHIA

*Contra Nich. Sanderi Monarchiam προλεγομένων Libri duo.*

Quorum contenta sequens pagina declarabit.

*Venite, & cogitabimus contra Ieremiam cogitationes, quando quidem non peribit lex a Sacerdote, nec consilium a sapiente, nec verbum a Prophetæ.* Ierem. 18.

Lex peribit a Sacerdote, & consilium a Seniori-bus. *Ierem.* 4.

Nox vobis pro visione erit, & tenebræ pro diuinatione. *Ezech.* 7.

LONDINI

*Apud Johannem Dayum Typographum. An.* 1573.

ROmana monstra esse pernicioſiora Africanis. 1

Superiorem Romanam Monarchiam ex iniuſtitia, hanc ex impietate conflatam. 2

Sanderus alio ordine, ac latinè rurſus tractauit ea, quæ ab Hardingo & eiuſmodi Pontificijs antea tractabantur. 3

Sanderus tum opus conſultò ædidit, cum ex inteſtinis tumultibus victores fore Pontificios ſperauit. 4

Sanderus videri vellet feſtinãter hoc opus perfeciſſe, quod diuturno ſtudio lucubrauit, & in ſolis conuitijs diſſimilis eſt alijs. 5

Roma obſoletæ meretrici ſimilis. 6

Roma cur affectauit imperium in Eccleſias. 7

Petrus neque Romæ, neque alibi vnquam inſtituit Imperium Eccleſiæ. 8

Petri Martyrium ſub Nerone Romæ, non eſſe cauſam cur ibi haberetur Eccleſiarum primatus. 9

Valde abſurdum eſſe quod Sanderus poſuit Petrum fuiſſe Chriſti ſucceſſorem in Sacerdotio. 10

Petrum ſolum non fuiſſe in terris Chriſti vicarium, ſed eam poteſtatem fuiſſe ſibi cum cæteris Apoſtolis cõmunem & æquabilem. 11

Quomodo Roma acquiſiuit Imperium in Eccleſias, & Pontifex Cæſaribus prior eſſe cœpit. 12

Romanæ Monarchiæ culmen ſeu ἀχμὴ. 13

Acquiſito Eccleſiarum Imperio omnia ſacra Romæ profanata, nec vllam iam eſſe formam aut ſpeciem Eccleſiæ Romæ, ſed meram Anarchiam. 14

Ineptum eſſe a Sandero poſitum libri titulum, *De viſibili Eccleſiæ Monarchia*, nam viſibilem Eccleſiæ Monarcham apertè deſignare Antichriſtum. 15

Sanderus ad Papam præfatur, eumq; falſis laudibus celebrat. 16

Egregia Papæ liberalitas in profugis & perduellibus ſubleuandis. Storæus inopia victus ad famoſam delato- 17

riam vitam detrusus.

18 Romani Legati quales, qualisq; Nicholaus Mortonus fuit.

19 Sanderus Angliam & Germaniam ingratitudinis accusat indignè, quòd a Papa recesserint.

20 Anglos a Pontifice Romano nō esse primùm ad Christianam religionem conuersos.

21 Sanderus dum Anglos ingratitudinis notat, inconstans est sibi.

22 Sanderi ὀλιγομαρτυρολογία.

23 In fide Maiorum neminem baptizandum.

24 Sanderi mendacium, dum morte luendum esse dicat, si quis contrà institutam religionem in Anglia senserit.

25 Hosius Cardinalis Sanderi Deus, cui quicquid est ascribit.

26 Sanderi iactantia, atque laus operis proprij.

27 Sanderi ordo in septimo libro totus confusus.

28 Sanderus Catholicos doctores ciuitate Dei excludit.

29 Sanderus solos Pontifices atque Cæsares in Ciuitate Dei collocat.

30 Sanderus vidisse se ait Ciuitatē Dei in Angelis & Hominibus inchoatam.

31 Quàm infirmum sit hoc Sanderi argumētum, Romæ fidem Christianam semper vigere, quia eorū fides teste Paulo annunciabatur per totum orbem.

32 Non fuisse semper in vno loco continuam Ecclesiam, nec in ea perpetuum externum sacrificium.

## *Contenta secundi libri.*

1 SAnderus contumelioſè ac falsò Reginā Sacerdotem esse contendit, quoniam Ecclesiæ gubernatrix est.

2 Ob eam etiam causam Henricum octauum impiè Iuliano Apostatæ comparat.

3 Principes imperare posse Ecclesijs, & personis Ecclesiasticis, etsi non sint sacerdotes, vbi de supremi Capitis,

tis, & ſupremi Gubernatoris titulo agitur.

Penes Conſtantinum, Iuſtinianum, & priores Chriſtianos Cæſares fuiſſe ſupremam rerum Eccleſiaſticarũ & in perſonas Eccleſiaſticas poteſtatem. 4

Sanderus etiam Edwardum Regem Iuliano comparat, quoniam eiectis e Templis Imaginibus, inſignia ſua propoſita ſunt. 5

Antiquitus obſeruatum in Anglia vt nobilium inſignia in templis collocarentur. 6

Sanderus Reginã ſacrificijs præeſſe impudenter mentitur, quia miſſificanti interdixit panis elevationem. 7

Idem Henricum octauum hæreticum & ſimoniacum appellat, quòd eccleſiaſticorum prouentuum primitias cepit. 8

Principi cur debeantur & conceſſæ ſint tam primitiæ quàm decimæ ex prouentibus eccleſiaſticis. 9

Cardinalis Polus Papæ Legatus Reginam Mariam, atque Angliæ Clerum primitijs atque decimis eccleſiaſticis defraudauit. 10

Sanderus profligati Papiſmi cauſas falſò confert in Henrici octaui cum D. Anna Bolena nuptias. 11

D. Catharinam Arturo Principi Henrici Regis 8. fratri maiori primò, deinde Henrico ex diſpenſatione Iulij Papæ contra ius diuinum nuptam fuiſſe. 12

Wolſæus Cardinalis atque Pontificij de dirimendis cum D. Catharina nuptijs primi ſuaſores fuerunt. 13

D. Maria a Cæſare Carolo quinto, deinde a Franciſco Gallorum Rege repudiata fuit, quia ex illicitis nuptijs nempe fratria ſuſcepta eſt. 14

Rex de nuptijs perplexus atque dubius, Theologos & in iure peritos conſulit. 15

Nihil de Anna Bolena ducenda cogitatum cum Rex primùm egit de diuortio. 16

Pontificij ſtudent Regem cũ Alanſoniæ Ducissa Galli ſorore matrimonio coniungere, vt a Cæſaris antiquo fœdere, ad ineundum cum Gallo fœdus abducerent. 17

Clemens ſeptimus Pontifex occulto diplomate reſcidit Regis cum D. Catharina matrimonium, quod Cam- 18

pegio Legato ſuo tradidit, vt Regi clam oſtenderet, ſed tamen reſeruaret, deinde metu Cæſaris id iuſſit igne cremari.

19 Rex a Cæſaris fœdere recedere noluit, neque cũ Gallo coire, ideo huius incepti diuortij Pontificios pœnituit, & Pontifex cum fruſtra ac inutiliter Gallo diu ſtuduiſſet, metu Cæſaris Legationem ex Anglia reuocauit.

20 Rex de Iure ſui coniugij externas Academias conſulit.

21 Earum ſententiæ atque conſultationes.

22 Poſtquàm Rex a Pontifice, ſuiſq; Legatis tam indignè luſus eſſet, eius in rebus ſacris authoritatem in queſtionem vocauit, poſteaq; eiecit.

23 Rationes quibus recentiores Pontificij licitas eſſe cum fratria nuptias aſſerunt.

24 Rationes contrariæ, in quibus oſtenſum eſt priores pontificios, iuraq; pontificia eas nuptias damnaſſe.

25 Hi quorum conſtantiam Sanderus in tuendis pontificijs partibus laudat, fuerunt primi oppugnatores Papiſmi.

26 Papæ Legatos non modò Anglorum, ſed Gallorum atque Scotorum inſtitutis atque moribus ſæpe interdictos ingreſſu.

27 Gallos ædidiſſe magis famoſas Leges in Papam, q̃ Anglos, habereq; ſuam Pariſienſem Curiam etiam in rebus diuinis Romana ſuperiorem, ad eam enim a Romana poſſe appellari.

28 Sanderi Catalogus non Chriſti, ſed Papæ Martyres atque Confeſſores continet.

29 Quàm impia, & omnibus Repp. pernicioſa Storæi ſententia fuit, cum licere dixit ſubditis, a natiui Principis ad externi imperium recedere.

30 Peroratio, ſiue operis concluſio.

Romana monstra esse pernicioſiora Africanis.

Dictum quondam eſt 1.
de Africa, ſingulis eam annis noua monſtra peperiſſe, quæ & formarum varietate terribilia, & nocẽdi facultate pernicioſa fuerunt, ſed nunquam ædidit Africa monſtrum tale, quod ſpecie quidem venuſtũ atq; elegans, interius autem tetrum & exitioſum fuiſſet. Huius enim generis non occultas ſpecies, ſed tãq; Syrenum diffluentes per pelagus ipſumq; Chriſtianum Oceanum illecebras, atq; apertas ſcaturigines, Roma aliquotiam retroactis ſæculis procreauit. Hæc nimirum illa ſunt, quæ ſe viſibilis Eccleſiaſticæ Monarchię, quam Pontifices Romani Apoſtolorum Petrum authorem falſò ſuum prætexentes ſibi vendicant, membra atque partes exiſtimari volunt. In qua ſi quis externum cultum & apparatum, ſi rituum ceremoniarumq; magnificentiam & ſplendorẽ, ſi profeſſiones atq; vota, ſi ad ſanctitatis ſpeciem accuratiſſimè deſcriptam diſciplinam, ſi indulgentiarum copiam, & peccata remittendi facilitatem quis ſpectare velit, nihil ei illuſtrius, nihil diuinius, nihil ſanctius, nihil ad vniuſcuiuſq; captandam beneuolentiam benignius plauſibiliuſq; videri poſſit: ſin ſordes & auaritiam, ſi libidinem, dominandi cupiditatem, iniuſtè ac contra legem diuinam acceptũ & vſurpatum Imperium, tyrannidem, ſociorum direptiones, hypocriſeis, fraudes, impietates, ſcelerum quorumcunq; impunitates,

Romani cultus exterior elegantia.

Eiuſdem obſcœnitas interior.

punitates, iuris humani pariter ac diuini contemptum & relaxationē diligentius aliquis introſpexerit, laruamque (qua tam diu tecta totum pene Chriſtianum orbem fefellit) detraxerit, monſtra multò tetriora, q̄ quæ oculis cerni poſſunt deprehendet. In quibus ædendis tam fœcunda eſt Roma, vt non modò tuos monſtroſos partus per totum orbem Chriſtianum copioſè profundat, ſed ſi alien genas ſuo græmio complexa ſit, eos etiam exuta priori natura in monſtra tranſierat, & tanq̄ Circæo exhauſto poculo porcos, & patriæ immemores ingratoſque faciat. Si enim omnes in homines charitates patriæ tola charitas ſuperare debet, vt a qua vitam hauſimus, ei etiam ſi opus ſit vitam refundamus: quid in humana ſpecie monſtri ſimilius eſſe poteſt, quàm a patriæ charitate penitus recedere, eamque quàm ſartam (vt aiunt) tectamq; habere conuenit, proſcindere contumelijs, deuouere diris, inteſtinis permiſcere tumultibus, externis hoſtibus inuadendam diripiendamq; proponere, omniaque flagitiorum ſcelerumque genera excogitare quibus ea turbari atque vexari poſſit. Huius generis monſtra imperandi cupiditate infinita, Roma peperit & formauit. Quod etſi in mundano Imperio acquirendo, victoriiſque obtinēdis, in quibus fraude ne an virtute, iuſtis bellis an proditiōne vicerit, gentibus perinde fuit, ſatis tolerabile viſum ſit, Chriſtianæ tamen Religionis prætextu ſubditos in profugos, & proditores tranſformare, eoſdemque in patriam ac in Principem incitare monſtrorum omnium immanitatem atq; metamorphoſym ſuperat.

Superiorem Romanam Monarchiam ex iniuſtitia, hanc ex impietate conflatam.

Refert

REfert Lactantius disertissimus sanè Ethnicæ pra- 2.
uitatis atque superstitionis euersor, Carneadem quendam eruditum ac disertum Philosophum, cuius summam eloquentiæ vim suis ciuibus optat Cicero, cum ab Athenienſibus Legatus Romam venisset, a multis Romanis quibus eloquentiæ fama notus esset, prouocatum, vt de aliqua re diceret. Is itaque primùm de Iustitia copiosè disputauit, audiente Galba, & Catone censorio, maximis tunc oratoribus. Sed idem disputationē suam postridie contraria disputatione subuertit, & iustitiam quam pridie laudauerat, sustulit. Et vt Aristotelem, Platonem, reliquosquè Philosophos iustitiæ patronos refelleret, Iniustitiam pro publica, & frequentissima Romanorum corona diserta Oratione celebrauit, eamquè ex suis ipsorum institutis, legibus, moribus, bellis, iniurijsquè omnibus gentibus illatis, ad Imperium acquirendum atque retinendum multò vtiliorem, quàm Iustitiam, prudentiam, & reliquas virtutes demonstrauit. Proinde si iustitiam sequi vellent, reddenda esse cuique singula, restituendas Indigenis prouincias, atque (quod diuinitus sibi putabant obuenisse) Romanum Imperium dissoluendum: sin retinere atque dilatare Imperium velint, fraudi ac iniurijs esse studendum. Iam verò, si hūc Carneadē Orcus remitteret, aut nouus nunc nascereturCarneades, eiquè in hac noua Monarchia pro Pontifice suisq; Cardinalibus atque Clericis dicendi facultas daretur: quam rem potissimùm pro huius, quam visibilem Monarchiam nuncupant, dignitate atque iure magis laudare possit, quàm Impietatē, & Incredulitatem? Et vt ille quondam Carneades pro rostris, expilandas prouincias,

Lib. diuinarū institutionū. 5.

Lib. 1. de Oratore.

diripiendos malequè tractandos ſocios, omniaquè vi ſubdēda Romanis ſuaſit: ſic iſte publicè e ſuggeſtu, aut in conclaui priuatim, non eſſe deum colendum, nec fidem Euangelio habendam, ſed religionis fuco atque ſpecie inſtituendam ad ſuum iugum perferendum totius orbis multitudinem eſſe doceret. Qui ſi hoc diſertè faceret, auditores haberet beneuolos & attentos multò magis quàm ille alter Carneades, cui ſolus Cato repugnauit. Qui arcana ſecum hæc meditantur indies myſteria, aut deum non eſſe, aut res humanas non curare, interire cum corporibus animas, poſt mortem neque ſenſum eſſe, neque voluptatem aut dolorem, gulæ, libidini, nefandæq; turpitudini aſſiduam dandam operam, ne ſine exquiſitis voluptatibus vita pertranſeat, ſua ſola authoritate prætexendum cæteris gentibus Euangelium, neque permittendū vt de eo aliter homines ſentiant quàm ſibi viſum fuerit, pœnitentijs atque remiſſionibus omnes cæteros coercendos, atque ſibi ſolis omnium ſcelerum impunitatem proponendam. Huiuſmodi auditores quibus Romana Monarchia ſcatet, Carneadi de impietate & incredulitate dicenti maximos plauſus æderent, exiſtimarentq; vt illa ſęcularis Romana Monarchia, ex prioris Carneadis ſententia, iniurijs creuit, & confirmata eſt: ita hanc ſuam quam Eccleſiaſticam vocant, ſine impietate ad tantam peruenire magnitudinem, & adhuc cohærere nullo modo potuiſſe. Quod ſanè vt multò facilius atque copioſius probari poſſit, quàm illa ſuperioris Romanæ Monarchiæ iniuſtitia, ita expetenda eſt alterius Carneadis opera, & facultas, qui hanc, quam iam ſibi fingunt atque ſtatuunt Monarchiam, prorſus euerte-

ret, doceretq; nulla religione, sed superstitione atque impietate institutam ac retentam esse.

Sanderus alio ordine, ac latinè rursus tractauit ea, quæ ab Hardingo & eiusmodi Pontificijs antea tractabantur.

SEd cum propagato & disseminato Euangelio & Pontificij errores reprehensi, & fraudes patefactæ, & vitia ita ostensa sint, vt nullius iam in ea re officium amplius videtur posse desiderari, queret quispiam, cur ita perfecto & absoluto opere adeo laboramus, & eandem incudem non necessariam, omissis rebus grauioribus, vsque adeo retundamus. Quoniam quidem aduersarij nostri eò impudentiæ progressi sint, vt cum res ipsa deficiat, verbis tamen atque contumelijs nouis, querelas veteres studeant renouare, multi incauti & in Euangelio infirmi eorum imposturis, verborumq; inani strepitu abduci facilè à pietate ad Papismum possint, ac nisi prouocati respondeamus, id aut segnitiæ aut inscitiæ nostræ temerè dabunt: ideo toties (vt aiunt) actum iterum agere coacti sumus. 3.

Namq; post Hardingum, Coolum, Fecknamum, Dormannum, Stapletonum. &c. qui patriam in causa iustissima deserentes, contra Ecclesiam Anglicanam eiusquè pastores ac ministros libris Anglicè scriptis intemperantius inuecti sunt, quorum calumniæ a Reuerendis in Christo patribus Roberto Wintonienſi, & Iohanne Sarisburiensi Episcopis, quos honoris causa nomino, nec non Alexandro Nocllo Ecclesiæ Paulinæ Londinensis Decano, disertissimis probatissimisq; Theologis, ita refutatæ sunt, vt Pontificij cum se argumentis & oratione inferiores esse vidis-

sent, armis superiores esse contenderent: exortus est nuper Nicolaus Sanderus, ex inepto Leguleio Oxonienſi amens Louanienſis, & Pontificius Theologus, qui etſi cum prioribus ſuis ſocijs nec ingenio, nec doctrina comparandus ſit, eadem tamen quæ illi prius Anglicè dixerunt, repetere, & ordine immutato & diſſimili, vt pro ſuis venditaret, latinè exponere maluit, quàm omnino tacere. Qui ſi interpretis veri munere perfunctus eſſet, & Hornum cum Fecknammo, Iuellum cum Hardingo atque Coolo, & Nocllum cum Dormanno in latinum ſermonem tranſtuliſſet, vt cunctis Chriſtianis gentibus de illis controuerſijs, & inter ſe diſſerentium facultate, æqua dijudicandi poteſtas fieret: bene de patria, bene etiam de ſua cauſa, ſi modò in ea tuenda atque defendenda ſuos potiores exiſtimauiſſet, meritus eſſet. Nunc verò cum aliena pro ſuis veſte, atque habitu ſolo tenus immutata ædere, & quæ contra dicta fuerunt occultare atque præterire voluit, impoſtorem & plagiarium ſe plane declarauit, multumq; cauſæ ſuæ diffidere viſus eſt, qui quæ contra a noſtris dicerentur tranſferre non eſt auſus. Atque vt ad te ipſum orationem Sandere conuertam, ſi ingenuè latinum interpretem ſolùm egiſſes, atque ſingula probè vertiſſes: & patriæ & cæterarum gentium ſine vlla offenſione beneuolentiam pro cauſæ magnitudine tibi collegiſſes, tuos autem, ſi qui cauſæ fiduciam in literis non in marte poſuiſſent, in perpetuũ tibi deuinxiſſes. Nunc autem pleriſque noſtrum mirum viſum eſt, cur quæ eiſdem de rebus a veſtris Anglicè ſcripta ſunt, & a noſtris refutata ſæpius, poſtquàm literis atque armis profligata eſſet controuerſia, eadẽ tu latinè repeteres.

An

An postquàm materna lingua, in qua nos toties prouocastis, victi fuistis: speraſtis latina fore ſuperiores? Quid feciſti Sandere? exteris nationibus noſtram, qui domi tuemur patriam, in latina lingua ignorantiam: an veſtram, qui eam deſeruiſtis, turpitudinem prodidiſti? Latinæ, Grecæ, & Hebraicæ literæ, an ex Anglia exulant? an cum Papiſmo electæ & exterminatæ ſunt? an vobiſcum ſine cauſa abierunt ſponte in exilium? Nequaquam inquies, ſed ſoli in Anglia Pontificij perfectè literas ſciunt, reliqui eas aut leuiter attigerunt, aut in vulgaribus ſe tantùm libris totos conſumunt. Veſtro igitur iudicio omnis literarum laus Pontificijs tributa, nobis ignorantia adſcripta eſt. Illi quæcunq; ſcribitis facilè probabunt: nos literarum inſcitia contradicere non poſſumus. Ita cum de Pontificiorum conſenſu, & noſtro ſilentio ſecuri apud vos certiquè fuiſtis: etſi Anglicè ſæpe ſuccubuiſtis, tamen latinè tandem ſcribentes triumphũ vobis ſine victoria decreuiſtis. Hæc igitur te Sandere ratio impulit atque prouocauit, vt toties à tuis noſtriſq; ſocijs Anglicè diſputatas controuerſias, & diuturno veſtro ſilentio ſecundùm nos iudicatas atque definitas, iterum litigioſè latinè refricares, quia facile tibi exiſtimabas fore, inſcitia literarum non repugnantes vincere. At longè aliter ſe rem habere Sandere ſenties. Remotis enim illis qui nobiſcum degunt, etſi ex veſtro grege ſint, vulpeculis, plerique noſtrum qui ex Academijs ſiue ad Rempub. ſiue Eccleſiam, ſiue honeſtum otium traducti ſumus, non minori nos ſtudio atque aſſiduitate, literis boniſq; artibus damus, quàm vos in hoc, quod vobis culpa atque contumacia, non alicuius iniuria euenit, exilio. Fruc-

tum autem ideo meliorem percipimus, & adferimus, quòd bellis inteſtinis, patriæ proditionibus, principis neci, euerſioni Eccleſiæ, & Reipub. perturbationi vt vos facitis, non ſtudemus : ſed deo ſeruire, principi obtemperare, patriam omni opera iuuare quantum poſſumus, parati ſumus. Hunc nos ſiue otij, ſiue negotij, fructum maximum eſſe putamus. Honores cupidè ambire, Papam atque Cardinales per longinquas oras ſectari, in principem atque patriam debacchari, vt externis hoſtibus grati eſſe poſſumus, gloriolæ cauſa aliena dogmata latinis ſententijs veſtire non ſolemus : ſi quid Eccleſiæ Dei, Reginæ, aut regno vtile ex ſtudijs noſtris depromere poſſumus, id libenter atque cupidè adferimus. Hæ noſtræ ſunt in ſtudijs omnibuſque occupationibus noſtris, ſiue cum Magiſtratu, ſiue priuati ſimus meditationes atque curæ, hic laborum finis, hic fructus eſt : hunc ſi aſſequamur, vt a veſtris potiſſimùm inſidijs Eccleſiam, Reginam, & Rempub. tueamur, quicquid aliunde aduerſi contingere poteſt, minus pertimeſcimus. Neque enim vlla feritas aut hoſtilitas tanta eſt, quæ poſſit cum illa veſtra contendere. In quo ſanè quatuordecim iam poſt reiectam iterum pontificiam poteſtatem annis, noſtra in tantis difficultatibus & ærumnis vota exaudiuit, atque ſtudia ſecundauit dominus : eumq;, quem nobis ſtatuiſtis atque decreuiſtis ſæpius mutationis diem, furoris veſtri authoribus atque ſatellitibus, quos rebelles vos ſcilicet catholici viri inter Martyres ſanctoſq; retuliſtis, ignominioſo ſupplicio ſublatis, vobis ipſis calamitoſiſſimum effecit : ſperareq; ſane in eodem & poſſumus & debemus domino, ſingula quæ tam diuturnis conſpira-

ſpirationibus atque dolis excogitaſtis mala, in vos ipſos eſſe reciſura.

Sanderus tum opus conſultò ædidit, cum ex inteſtinis tumultibus victores fore Pontificios ſperauit.

ATque hîc aliam mihi libet, ſicut vos Sandere, cum de maximis certiſſimiſq; rebus agitis, ſuſpicionibus in nos agere ſoletis, cauſam huius tui tanti operis coniecturis exquirere. Cur tam diu meditatum atque lucubratum opus, tam ſerò in lucem emiſiſti? Iniuriam ne tibi ſummam faciam, qui tuis verbis fidem non adhibeam? Quin eam tibi a me pati neceſſe eſt, ſi veritatem audire tibi videatur iniuria. Feſtinanter te dicis atque ſubitò exaraſſe: ea ſcilicet eſt veſtra, ac tua præ cæteris prompta in dicendo ſcribendoq; facultas, vt quod a nobis tardiuſculis vix vno aut altero anno ſæpius concoctum & repetitum exeat, vobis ſolita temeritate atque leuitate repente excidat. Itaque vt detur magnus in hoc opere diligentiæ tuæ, atque tempori (quod tu parũ verecundè ſubterfugis) locus: elucet ex tua ad Triumuiros Cardinales tuos altera dedicatoria epiſtola huius rei veritas, cum te a Commendono Cardinali poſt Comitia Imperialia Auguſtæ celebrata, cum ſecum vnà Wormiæ cum Cardinali Hoſio eſſes, incitatum eſſe dicebas, vt vnius paſtoris primatum confirmandum ſuſciperes. Ea verò Comitia ante ſex annos abſoluta ſunt, cum de te orta eſſet fama (quia tam familiariter cum Cardinalibus viuebas) aut Romæ Cardinalem, aut in Anglia Archiepiſcopum, ſi ad veſtram Monarchiam reduci res potuiſſet, ordinandum. Sed quia tunc vtraque ſpe fruſtratus eſſes (nam & illi Car- 4.

dinales tecum fidem non seruarunt, & tempora nobis prẹter vestram expectationem atque votum, fælicia diuinitus data sunt) existimabas huius tam magnifici scilicet operis ædendi & diligentiæ declarandæ tempora magis oportuna fore, cum & bellis ciuilibus & externis infestaretur Anglia, cum ex Pontificiorum insidijs (quod omen in vos omnes auertat deus) interiret subitò regina: cum ipso tumultu, aut inuasione hostili, tam terribili Monarchiæ adiungeretur nostra Ecclesia, in qua tu Architectus huius Monarchiẹ creareris Archiepiscopus.

Sanderus videri vellet festinanter hoc opus perfeciſſe, quod diuturno ſtudio lucubrauit, & in ſolis conuitijs diſſimilis eſt alijs.

5. QVid igitur? an cum ab ineunte ætate magnam & præ cẹteris tuis coætaneis singularem studijs diligentiam adhibuisse te semper omnes ferant: an in Theologia omnium artium atque scientiarũ maxima, tum in tam excelsa fabricanda Monarchia, a qua tanta præmia, tot honores sperabas, negligens existimari voluisti? Nam etsi, cum sua scripta excusare vel admirari cupiant homines, hoc eis dictu scitum & commune est: defuit tempus, multa alia me impedierunt, prouocatus ab amicis incæpi atque perfeci celeriter: vt illico exclamare incipiat vulgus: *Diuinam & supra humanam hominis huius facultatem:* tamen in re tanta qualem tu Sandere aggressus es, satius fuit in cuiusuis vitij crimen, potius quàm negligentiæ incidisse. An concidere atque ruere negligenter vis eam, quæ tanto artificio, tot artibus indiget Monarchiam? An cum in ea paulatim comparanda atque acqui-

acquirenda tot tranſacta ſæcula, tot doli compoſiti, tot conſilia capta, tot labores exantlati fuerunt : tu ſiue temporis anguſtijs, ſiue alijs occupationibus impeditus negligenter eam euertere atque proſternere voles? Si igitur hac tua Monarchia, nos, quos ea conficere cupiat, non magis perterreas aut concutias, quàm ante te Hardingus & priores tui ſocij, quin diuturno in literis otio collectis & cõfirmatis noſtris viribus, a te incenſi atque prouocati tanto impetu in eam omnes vnà ruamus, vt in præcipitium feratur, atque te ſecum, omneſq; tuos ſocios obruat : negligentia ne tua hoc contigiſſe dices, an inſcitia ? vtraque ſanè magno tibi vertetur vitio, ſed negligentiæ maiori. Namq; tui omnes voluntatem tuam probabunt, etſi vires nõ ſuffecerint. Nobis verò apud quos neque gratiam neque veniam inire potes, haud refert negligẽtia ne an imperitia, an vtraque re Monarchia tua ceciderit. Quare ſi quid perperam commiſſum ſit nullam negligentiam prætexas. Labores enim atque lucubrationes in hoc opere tuæ, etſi tibi videantur nullæ, aut perexiguæ : alijs tamẽ ſe ſatis oſtendũt. Nam in his quæ ardemus facere negotijs, cum ſudamus, cum nos defatigamus, cum vires ipſæ nos penè defecerint : laſſitudinem ipſi vix ſentimus, ab alijs tamen laſſi conſpicimur. Ita Sanderus labores quos maximos atque diuturnos amore huius ſuæ Monarchiæ ſuſcepit, tantis videlicet præmijs propoſitis, leues atque perbreues cenſuit & iudicauit, alijs tamen diu atque magnopere laboraſſe viſus eſt. Cum itaque dubium non eſt, quin ad hoc elucubratũ opus tempus & diligentiam Sanderus adhibuerit : videamus

quid is ex ſcriptoribus profugis præcipuè præſtiterit. Diuturno ſtudio & labore auxit magnitudinẽ libri, & plures q̃ illi paginas compleuit, ab origine mundi ad hæc noſtra tempora Monarchias omnes commemorauit, Latinis iſta literis illuſtrauit. Mediocris ne hominis hæc ſunt officia? Nam cæteri eas Religionis controuerſias Anglicè tantùm attigerunt, quibus Angli a Romanis diſſentimus. Quid tum? Papam ſcilicet Monarcham, atque Cardinales in præfationibus ſuis appellauit. Cæteri Reginam affati ſunt, & Epiſcopos tantùm noſtros atque Paſtores, quod ferendum tamen non erat, contumelijs affecerunt. Sanderus, vt hos omnes malitia atque impudentia anteiret, non modò paſtores noſtros Pſeudoepiſcopos, & Satanicæ Eccleſiæ miniſtros, nos omnes Apoſtatas, Regnum aſylum atque perfugium perduellium nominauit: ſed illuſtriſſimam Reginam, cuius & in omni literarum genere ſcientia, & virtutis præſtantia, & in imperando prudentia atque moderatio ſuis ſubditis tantã, tam diuturnam in tranquillitate fæliciratem peperit: apud exteras gentes admirationem, apud hoſtes ſtuporem conciliauit: ipſos etiam Pontificios, qui cum artibus humanioribus feritatem & immanitatem non hauſerunt, ad eam latinis literis pro omnibus dotibus quæ in ſexum muliebrem, & Regiam vnà dignitatem incidere poſſunt, celebrandam excitauit, hæreſis, occupati & retenti ſine iure regni, tyrãnidis, atque (proh pudor) παῤῥησίας (mallem enim vt impura ſua conuitia ab eo ſcripta potius quàm a me repetita legantur) diuino & humano iure contempto inſimulauit. Egregius ſanè huius nouiter

Sanderi os impudens.

a ſe

a ſe propoſitæ Monarchiæ ſatelles, plus quàm cæteri multò profecerunt. Namq; illi, etſi Pontificijs ſordibus inquinati & irretiti hærebant: Reginæ tamen venerationem & obſequium, ac Patriæ debitum officium, pietatem, & charitatem deferebant. Hic depoſita verecundia, abiecto officio, & exuta omni humanitate, perduellium & proditorũ omnium ſe authorem, & præconem profeſſus eſt. Hæccinè veſtræ eſt Monarchiæ, Sandere, diſciplina? Hæccine Theologia? iſta ne ſchola ex qua vt nuper, impoſtores, fædifragi, perduelles, patriæ deſertores atque euerſores, qui omnia terra mariq; a Monarcha veſtro impulſi ciere & commouere tentabant, profecti ſunt? Tu ſanè tibi gloriari præ cæteris poſſis, qui in ea tam bonos atque celeres progreſſus feciſſe tibi videris, vt huius impiæ Monarchiæ, quæ vexilla contra Chriſtũ erexit, anteſignanus habearis. In hoc etiam tuam indolem maximè laudamus, quòd in ea, quam probas, ſententia ſine fuco & fallacia ingenuus & apertus ſis. Nam plerique ac penè omnes veſtrum, etſi Pontificia prauitate perinde ac tute corrupti fuiſſent, tamẽ pectoris virus intus coercebant, officium ſimulabant, Reginæ atque procerum gratiam captabant, cum his quos maximè oderant, ſi authoritate prædíti eſſent, familiares eſſe volebant. Vt oportunitatem nacti Reginæ, nobiſq; omnibus exitium pararent. Tu verò (vir ſimplex & aperte) Dauum non Oedipum agis, non Sphingis ænigmata, ſed ſeruilia atque ſcenica profers conuitia, nec te blanditijs inſinuare, ſed nos apertis minis deterrere ſtudes. Quaſi verò tua minax & vt tu putas, cenſoria oratio, Monarchiæ tuæ

Sanderus apertè, alij fucatè egerunt.

vim & potentiam nos faciat perhorreſcere. Tyrannidem eius in illis ſæuis Marianis temporibus haud ita pridem experti ſumus. Vulnus apud nos recens eſt, & ne obliuione deleri poſſit, nouæ indies ſtrages Pontificia plenæ crudelitate in Belgio totaq; Gallia vicinis nobis gentibus æditæ ſunt. An tu nouum aliquem prætorio quodam eius Monarchiæ edicto nobis proponis terrorem, qui nos magis quàm propriæ & vicinæ a vobis acceptæ calamitates concutiat? An in te maior eſt authoritas, quam in illis fuit acerbitas? Erit fortaſſe (inquis) cum Archiepiſcopus in Angliam venero. Ita ſanè credo. Nam hoc veſtrũ eſt aſſiduum ſtudium, in quo tam præclarè mutuaq; laude contenditis, vter alterum maiori impietate atque tyrannide antecellat. Nec de te aliter exiſtimare conuenit, qui tam cruento opere, in quo omnia ſcelera, quæ in Reginam atque patriam cõmitti poſſunt, flagitioſiſſimis viris laudi ducis, tam egregium indolis tuæ indicium dediſti: quin ſi poteſtas tibi fieret, nouos *Phalaridis* tauros, longeq; atrociores excogitares. Namq; omnium Pontificiorum imos ſenſus, obſcuras voluntates, & occultos conatus apertis atque obſignatis tabulis patefeciſti: radicemq; quam non extirpatam Storæus tuus doluit clariſſimè deſignas. Hæc tua eſt ingenuitas & apertus ſine circuitione ſtilus. Hæc tu apud omnes qui latinè ſciunt nota atque teſtata eſſe voluiſti, nobis enim antea haud obſcura fuerunt. Quanquam autem ea ſupplicio q̃ reſponſo digniora ſint: tamen ne voluminis tui magnitudo Pontificios iactare, aut vacillantes atque dubios ſuſpicari coget, imponi nobis tanta mole perpetuum

filen-

silentium: eodem ordine vt errorem si velitis vestrũ videre possitis, ponemus vobis vicissim ante oculos piorum atque improborũ oppositos ab origine mundi cœtus, mores, atque dogmata, vt ex comparatione dignosci possit, quorum vos atque nos imaginem repræsentemus. Quod ad me attinet, qui ab humanioribus artibus ad Iuris studium in quo adhuc versor, transij, cum forensia negotia ita intermissa essent, vt vacare, sicut interdum soleo, Theologiæ potuissem: accepi tuum codicem, vt videre quid tu noui ad tantam causam attulisses. Ac primum ipsa magnitudo nomenq; tuum mihi scrupulum iniecerunt. Nam cum cognouissem quanta cum laude in Iure Oxoniæ profeciſſes, tum postq̃ te Theologiæ dedisses, accessisse tibi duodecim annorum otium: existimaui in huiusmodi causa latuisse priores multa, quæ tu nobis aperires. Deinde titulus ipse *De visibili Ecclesiæ Monarchia*, fulgore atque nouitate sua oculos meos perstrinxit. Ad extremum inuersa pagina, argumentorum me ad legendum allexit atque prouocauit ordo. Cum verò ex præfationibus q̃ hostilem in Reginam patriamq; animum gereres deprehendissem, cœpit mihi facultas atque opera tua displicere, atque malè nobis a te metui, ne tua scientia victi causa caderemus. Tandem verò cum lectionem absoluissem, nec quicquam, quàm antedictorum pelagus atque chaos ordine indistincto turbatoq; vidissem, confirmatior in sententia quàm vnquam ante fui. Itaque cum nullo modo ferre potui vt sus imperita Patriam conculcares, ac lutosis conuitijs in tantæ principis dignitatẽ incurreres: libuit mihi donec a Theologis nostris

reſponſa ad ſingula feras, aduerſus te de tribus capitibus præfari. *1. De inepto voluminis tui titulo. 2. De Thraſonicis præfationibus. 3. De indignis tuis in Reginam, gentemq; noſtram conuitijs.* Quibus capitibus te tuoſq; quales ſitis, omnibus pandam, noſtramq; integritatem, a veſtra maledicentia vindicabo.

**Roma obſoletæ meretrici ſimilis.**

6. VEtulis atque obſoletis meretricibus in vſu ſemper fuit, poſtq; venuſtæ eſſe deſierunt, atque repudiarentur a procis, habitum aliunde mutuari iuuenilem, eoq; niſi allexiſſent imperitos rerũ adoleſcentes, aut aliarũ libidini obſeruire lenas, aut in rabiem conuerſas, ſtudere maleficijs. Roma verò etſi quondam Eccleſiam Chriſtianã ſpecioſam atque caſtam, deo, hominibuſq; gratam mœnibus ſuis continuerit, quæ ſua pulchritudine allexit omnes gentes: tamen poſtq; virgineo pudore abiecto, ſuis ſordibus atque alieno luxu inquinata eſſe, & ex diuinarum atque humanarum pariter rerum commercio quæſtum facere cœpit: a libidine, ſimulatque conſenuiſſet, in faſtidium & contemptũ aliarum gentium abijt, itaque diu permanſit. Et cum iam nullo artificio ingenuam formam atque procorũ frequentiam recuperare poſſet: non modò ſcelerum quorũcunq; impunitatem præmiaq; ſibi adhærentibus proponit: ſed tanquam vltrix malefica, ſæuaq; Medæa, exitium vndique ſuis deſertoribus terra mariq; parat. Itaque cum non amplius Eccleſia Chriſti, deoq; ſacrata atque caſta in humilitate virgo perſeueraſſet: potentia atque Iuriſdictione quadam vſurpata dominatum & Imperium ambi-

ambitioſe concupiuit. Quem cum auxiſſet multis ſæculis, & ad tantam magnitudinem perduxiſſet, vt niſi tyrannide ſtare non potuiſſet (nam non modò Eccleſias ſibi ſubdidit, ſed reges deiecit, Imperatores proſtrauit, totũq; orbem Chriſtianũ affectatione atque cupiditate regnandi, ſæpius perturbauit) tanto fuit omnibus immanitate ſua odio, vt ſingularũ gentium detracto ſenſim obſequio, diu labefactata vacillauerit. Hinc, vt eos quibus imperitare nixa eſt, ſub iugo contineret: Primatum, Epiſcoporum ſucceſſionem, authoritatem Petri eadem ſucceſſione in ſe deriuatam paſſim obtendit. Quibus titulis cum ab occaſu atque ruina ſeruare ſuam potentiam non poſſit, nouo atque inaudito in Eccleſia Chriſti titulo Monarchiam nuper ſuſcepit. Hanc iure ſiue iniuria obtinere ſi poſſit: in omnes geret imperium, ſola reges atque ſacerdotes creabit, leges rogabit, atque abrogabit, pœnas atque ſanctiones decernet. Roma omnibus odioſa.

*Hic illius arma, hic currus erit.*

Sed hoc mirũ exiſtimari poteſt, cur trecentis aut quadringentis antea annis, cum vbiq; ita confirmata eſſet ſua potentia, vt non modò Eccleſijs, ſed imperijs atque regnis terrori fuerit, hoc titulo ſeſe non oſtenderit. Hac autem noſtra ætate in qua tot prouincias amiſerit, eaſq; paucas, quæ ſuperſunt, tam infirma fide aſtrictas ſibi retineat, vt ſi bellica vis abeſſet, illæ quoque deficerent: iam noua vexilla, in tam caduco atque præcipiti Imperio profligatis pene viribus erigat. Nam veteres Romani rebus ſtantibus non labefactatis, ſe rerum dominos appellabant. Et

veteres Imperatores post victorias partas, non post acceptas calamitates triumphos suos nouis trophæis illustrabant. Roma verò amisso pene imperio Monarchiam suam proponit, postq̃ his carminibus iure lusa & contempta iamdiu iacuit.

*Roma fuit Regina maris, reginaq̃ terræ,*
*At nunc nec terram, nec mare Roma regit.*

Roma cur affectauit imperium in Ecclesias.

7. AT Ecclesijs, non regionibus atque ciuitatibus Monarchiam suam (inquiunt) Roma præficit. A mundano enim ad Ecclesiasticum imperium transijt, & quia id amisit, hoc gerere cupit. Quomodo autem tanto Imperio priuata fuit Roma? An vi bellica, & hostili potentia? an sociorum prouinciarumq; defectione? an intestinis coniurationibus atque tumultibus? his enim modis cæteræ Monarchiæ dissipatæ sunt. Roma verò dum Ecclesiasticum affectauit, mundanum amisit admirabili huius noui Monarchæ fraude atque calliditate Imperium. Namq; initio nihil magis valuit ad primatum, quem vendicant, Romæ deferendum: quàm quod tunc ibi esset tanti Imperij caput.

Petrus neque Romæ, neque alibi vnquam instituit Imperium Ecclesiæ.

8. PEtrum id iussisse aiunt, vt primatus Romæ collocaretur. Sed vbi hoc Petri mandatum reperiunt? ex quibus archiuis? quo armario proferunt? quibus testibus, sub quibus Iudicibus probant? Petrus quidem

dem duas catholicas Epistolas ad omnes passim qui vbiuis gentium Christianam fidem suscepissent, scripsit: in quibus cum de tam multis salutiferis admonuisset, mirum est cur hoc in quo non modò præsidium Ecclesiæ, sed omnium gentium salutem statuunt, vt omnes Romanam fidem sequerentur, ducemq; caput, ac Monarcham agnoscerent, incautus prætermiserit. At hoc etsi non scripsit, tamen insusurrauit multis in aures secretò fortè, vt plus a Petro sibi dictum, quàm nobis scriptum existimemus. Cuiusmodi ennuntiatis quæ pro confessis ponunt, efficient arcana Dei quæ sola nobis sunt saluti, non in sacris Scripturis expressa esse, sed in Papæ pectore recondita reseruari: vt Romæ sit non modò Ecclesiæ Monarchia, sed Christianorum omnium oraculum, ad quod omnes gentes cum tabulis, ad responsa capienda venire cogerentur. Nec Christus Apostolis dixerit, ite in vniuersum mundum: sed soli Petro, petas Romam, vt omnes ad te tuosq; successores nationes vndiq; confluant, & concurrant, in vestris dictis & sententijs acquiescant, inde omnia ad salutem necessaria quærant atque sumant.

**Petri Martyrium sub Nerone Romæ, non esse causam cur ibi haberetur Ecclesiarum primatus.**

LEpidum sanè hoc est tam ingeniosorũ huius Monarchiæ fabricatorum commentum. Sed ne probabilitate careret, rationes pulchras adferunt, quibus Petrus motus primam sedẽ Episcoporum Romæ statuerat, quia Martyriũ ibi passus sit. Videtur igitur quasi testamento moriens hanc Prærogatiuam Romæ legasse. Hoc enim dant, fuisse eum Hierosolymis & in 9.

Iudæa ſex pene annis poſt Chriſtum ſupra cœlos exaltatum, atque ibi omnibus vt primum Epiſcopum præfuiſſe, deinde Antiochiæ ſeptem annis præſediſſe, vbi Chriſtianorum nomen primum exortum eſt. Itaque cum Iheroſolymitana ciuitas tempore, Antiochiana verò Chriſtiano nomine prior Roma fuerint: Primatum nō alia ratione quàm Martyrio imponere Romæ poſſunt. In quo ſanè figmento incauti homines in id quod maximè vitare, minimeq; concedere vellent, facillimè incurrunt. Nam ſi Martyrium primam Eccleſiam deſignet, cur Stephani Protomartyris, & Iacobi ab Herode Hieroſolymis icti cædes primatum ibi non confirmarunt. Sin adhuc vrgeant atque contendant illuſtriorem fuiſſe Petri cladem, quem Primatum inter Apoſtolos geſſiſſe volunt, quàm Stephani qui Diaconus tantùm fuit, aut reliquorum omnium: num tamen domini morti cruciq; anteponent? Num ob Petrum ſub Nerone interemptum, Roma nobilior cenſebitur, q̃ ob Chriſtum ſub Pilato paſſum Iheroſolyma? Non hic addam cætera quæ multo clariorem Iudęam quàm Romam pro accepta & peruulgata in omnes gentes Chriſtiana fide reddere poſſunt: Chriſti natiuitatem, baptiſmum, miracula, Apoſtolorum inſtitutionē, diſcipulorum cætum, Crucis pœnam, Reſurrectionem, reſuſcitati cum ſuis conuerſationem, aſcenſionem, ſpiritus ſancti aduentum, & communicationē: quibus omnibus multò nobis eſt diuina voluntas quā Petri Martyrio teſtatior. Sed hoc abſurdum mihi videtur q̃ in cæde atque mactatione ſanctorum hęc tam egregia Monarchia exiſtimat eſſe ſitum Eccleſiæ ſuæ honorem. Quid enim? num Chriſtus Hieruſalem in ſummo

Act. 7. & 12.

præter

prę̃ter cæteras Ciuitates prætio habendã ideo edixit, quòd Prophetas occidiſſet? an non ob eam rem exoſam eſſe deo pronunciauit, eiuſq; prout euentus poſtea declarauit, vaſtitatem & interitum vt ſolo æquaretur, prędixit? Mirum eſt itaque ſibi in Martyrum ſtrage ita gloriari Romam, vt Monarchiam ideo vendicaret, niſi eam a ſanguine atque cæde ortam, adhuc in pari immanitate crudelitateq; retineret. Sit hæc Heroſoſtrati Epheſini gloria, qui cum ignobilis eſſet, tamen vt omnium ſermone celebris eſſe potuiſſet, magnificum Dianæ templum per omnes gentes notum incendit, vt cum per orbem terrarum quereretur, quis tam ingens facinus perpetrauerat, Heroſoſtrati nomen per omnes ſpargeretur. Fuitq; ea ſemper improborum hominum conſuetudo, vt cum virtute rectęq; geſtis laudem conſequi non potuiſſent: tamen flagitijs ſui famam excitarent. Ita Roma cum huius Monarchiæ ſpeciem nulla ratione, nullaq; pietate defendere poteſt, ad Martyria non quę ipſa paſſa, ſed quo tam multos crudeliſſimè affecit, confugit. In quo ſanè non magis celebris in illis naſcentis Eccleſiæ temporibus fuit, quàm hoc noſtro ſæculo in extinguenda Euangelij luce, quæ ſuæ Monarchiæ impietatem patefecit, ſeſe declarauit. Quid itaque ſi ea quæ toties conuulſa ſunt enuntiata, tibi Sandere cõceſſerim. Fuiſſe Petrum Apoſtolorum primum, fuiſſe etiam, & Eccleſiam inſtituiſſe Romæ, a Nerone ob Chriſti teſtimonium crudeli morte affectum. Ex his ne colligere vis Pontificem maximũ, atque Monarcham (vt tu dicis) Eccleſiæ eſſe eum qui Romanus ſit Epiſcopus? Ego ſanè acumen tuum in huiuſmodi ra-

Roma Heroſoſtrati gloriã venatur.

tiocinatione probare non possum, nisi vna connectas instituisse atque præcepisse eum vt Romæ sua sedes Episcopalis, suaq; successio omnibus cæteris tam a se quàm ab alijs Apostolis ordinatis Ecclesijs sola præesset.

Valde absurdũ esse quod Sanderus posuit Petrum fuisse Christi successorem in Sacerdotio.

10. IN quo sanè callido nobis artificio quodam Sandere velles illudere. Nam cum in septimo libro, Dei atque diaboli Ciuitates atque membra inuicem opponis: seriem ad Christum in Ciuitate Dei continuò ductam ostendis: q̃ aptè, viderint postea alij. Hunc Pontificem maximum in æternum manentem nominas. Rectè: nihil enim verius esse potest. Sed cur in æterno pontificatu atque sacerdotio das ei successorem Petrum, deinde reliquos Monarchas tuos. Quid æternitas mutatione atque successione eget? aut Christus in cœlis a dextris patris positus summus atque maximus Pontifex esse desinit? aut Petrus æternum Christi sacerdotium, reliqui Apostoli haud ita longæuum nacti sunt? Verùm non id te velle respondes, vt Petrus in Christi sacerdotio successor, sed a Christo summus Ecclesiæ visibilis pastor constitutus habeatur. Hoc tu, qui quæcunq; velles, consequi dicendo potes: cur non apertius dilucidiusq; dixisti?

Lib. 7. pag. 237 & 239. *Ciuitatem Dei, seu continuatam Ecclesiæ successionem* duabus lineis inter Annos Domini & Imperatores Romanos interiectis inclusam depingis, Pontifices max. præfigis, in eadem serie primò Iesum Christũ, deinde Simonem Petrum successorem eius ponis: cùm

cum ego id vidiſſem, exiſtimaui te velle Chriſtum æterno ſacerdotio abdicatũ fuiſſe, & Petrũ illud ſuſcepiſſe, quia tam obſcurus es, vt in quo ſacerdotio ſucceſſerit non deſignas. Quod ſi dolo feceris, vt nos in hunc errorem impelleres, datum Petro æternũ Chriſti ſacerdotium: haud rectè & ingenuè nobiſcũ agis. Sin obſcuritate ſeu loquendi infantia lapſus es: gerendus eſt mos modò rectè ſentias. Quid autem ſi nunc hoc in loco Sandere, in quo totius tuæ Monarchiæ fundamentum iactum eſſe putes, non infantiam (ſatis enim ſuperq; ſæpe loqueris) ſed amentiã tuam redarguam? quid ſi neque Petrum neq; quenquam ſuccedere poſſe Chriſto in ſacerdotio vincam: num ſtare diutius hæc veſtra Monarchia poteſt? Atque vtinam oſtendere nobis ac declarare tibi libuiſſet, in cuiuſmodi ſacerdotio Petrus Chriſto ſucceſſerit. Num nam in illo incommutabili ac æterno? At id ſolus Chriſtus ſemper obtinuit, ſemperq; retinuit, nec a ſua in cuiuſquam perſonam deduxit atque tranſtulit. Quid igitur? in eiuſmodi ſacerdotio, quod æuo aliquo atque ſæculo ſeu alicuius hominis ætate, vel momento terminetur? Atque huiuſmodi ſacerdotium in Chriſtum non cadit, qui eſt ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Cuiuſq; ſacerdotij, ſicuti nec Regni, finis nunq̃ erit. Itaque niſi omnes Romanos Papas æternos ſacerdotes ſtatuas, non erunt Chriſti ſucceſſores. Si igitur neque in caduco atque momentaneo, neque in ſempiterno ſacerdotio ſucceſſorem habuerit Chriſtus, vbi eſt illa tua Sandere continuata ad hanc viſibilem Monarchiam ſucceſſio, quæ tam infirmo, immo nullo fundamento

damento cohæret, vt a Christi pontificatu deriuari non possit. Nam si omnes, quos a Christo ordine ducis, Romanos Papas æternos sacerdotes iudicabimus: Christus solus eo sacerdotio non fungitur. Sin solus fungatur: æterni illi non erunt sacerdotes. At me in verba tua captiones intendere dices: haud ita sanè. Nam tu nihil planius, nihil disertius dicis, nec alia mens vlla ex scriptis tuis elici potest. Num enim aliud vis, aliud contendis q̃ vt vnus Pontificatus per plurium successiones perpetuus sit in vestra Monarchia? eum autem a Christi pontificatu inchoasti, & proximo loco ad Petri Pontificatum ducis, vt eundē gessisse Petrum cum Christo Pontificatū, eundemq; ad Papas traduxisse te velle ac sentire omnes intelligerent: verum sit alia tua voluntas, atque oratio iudicauit. Etsi non apertè satis, immo nec omnino in illa continuata serie dixisti, Petrū atque Papas non successores esse sed vicarios tantùm Christi. Nam qui in alienum ius succedit: is ex alieno suum facit. Qui verò alterius est vicarius: aliena gerit negotia, non sua: vt illa tua, de qua antea dictum est, prępropera festinatio Petrum successorem non vicarium Christi temerè te designare fecerit: tamē damus hanc temeritati vel imperitiæ tuæ veniam.

**Petrum solum non fuisse in terris Christi vicarium, sed eam potestatem fuisse sibi cum cæteris Apostolis communem & æquabilem.**

II. SEd si Petrus solus fuit vicarius Christi: cæteri Apostoli & Discipuli non nisi ab eo accepta potestate quicquam in Ecclesia gerebant. Hoc tu apertè docere

docere cupis, simulatque a Christi æterno sacerdotio ad Petrum tam festinanter immo præceps ruis, & cæteros ab ea dignitate tanquam a vestra Monarchia remotos excludis. Ego verò, quia in his sæpe decantatis nugis, quæ toties tamq; copiosè ab alijs reprehensæ sunt, persistere nollé, hoc abs te tantùm quero: cur tam cito Christus sui vnius vicarij Imperium violauerit, vt Paulum celeberrimũ Gentium Doctorem in Apostolatum, Ananiæ non Petri ministerio induxerit? aut cur ipse Paulus nulla in re se dicat inferiorem summis Apostolis? Si Petrus primus summusq; fuisset: cur eius authoritati Paulus non cessit in Concilio? cur potius restitit? cur Petrum liberius increpauit? cur id in Epistola sua notũ testatumq; reliquit? An hæc Paulus scripsisset atque fecisset, si Petrum aut Apostolorum principem, aut se ipso superiorem agnouisset? An Petrus Pauli contumaciam non coercuisset, si ei supra eum cæteroſq; potestas a domino data fuisset? Act. 9.

Quomodo Roma acquisiuit Imperium in Ecclesias, & Pontifex Cæsaribus prior esse cœpit.

ITaque vt non cõtendamus cum huiusmodi fabulis, quæ Euangelij fide careant, & ad id vnde digressi sumus redeat oratio: ex illius Imperij, quod Romani ante Petrũ acquisiuissent magnitudine, huius sedis Romanę Primatus primum exorsus est. Nãquè recepto & disseminato per orbem Euangelio, in celebrioribus ciuitatibus eminentiores in sacris ordinibus dignitates collocabantur. Quod ex quibusdã Lucini, Clementis, & Anacleti Romanorũ, vt ferun- 12.

Distinct. 80. tur Pontificũ in Gratiano reſcriptis, luculenter oſtenditur. Cum enim tres eſſent eorum qui religionibus præfuerant apud Gentes ordines, primi Flamines, Archiflamines, atque Flamines: vrbes maximas locaq́; celeberrima tenebant primi Flamines, proxima Archiflamines, reliquas Ciuitates Flamines. Itaque ea ſuperſtitione deleta, & firmato Euangelio, Patriarchæ in nobilioribus ciuitatibus collocati ſunt, deinde Metropolitæ, poſtea in cæteris Ciuitatibus Epiſcopi (cautione tamen habita ne in caſtellis atque modicis Ciuitatibus habitarent) ad extremum vicatim atque oppidatim præſbyteri. Atque hanc prouinciarum diſtinctionem, & loca Patriarchis atque Metropolitis deſignata ſicuti Romanum Primatum a D. Petri præcepto trahunt, ſalua tamen in omnibus (vt cautè inſeruit Gratianus) authoritate Apoſtolica. Hinc ob ampliſſimum imperium, ampliſſimum quoque ſacerdotium Romæ obtigiſſe cernimus, etſi eius inſtitutionẽ, ſicuti Patriarchias & Metropolitias Põtificij Petro referant. Sed poſtq̃ imperij ſedes a Conſtantino Roma Bizantium deducta fuiſſet, id poſtulare viſa eſt Imperij Maieſtas, vt Conſtãtinopolitanæ Eccleſiæ honoris acceſſio fieret. Itaque cum in Concilio Taurinenſi conſtitutum eſſet, vt quæ in ciuili gubernatione primæ eſſent vrbes in vnaquaq; prouincia, in eis ſtatuerentur Epiſcoporum ſedes, & quo minimum fieret mutationis ex rerum qui tunc erat ſtatu diſtribuerentur prouinciæ, Primateſq́; ac Metropolitæ in eis locarentur vrbibus, quæ honoribus & poteſtate reliquas antecedebãt: Innocentius Pontifex Romanus, quum & tranſlatione Imperij imminui

C. Epiſcopi Diſt. eadem.

Cap. 1.

Primatus Eccleſiarũ Romæ ob ſolam Imperij cauſam collocabatur.

nui aliquando Romanæ ſedis amplitudinem atque maieſtatem timuit, contraria lege cauit: Non neceſſe eſſe Metropoleis Eccleſiaſticas cõmutari, prout Imperatoriæ Metropoleis tranſferuntur. Itaque tametſi æquũ non videtur vt vnius hominis in propria præſertim cauſa ſententia, authoritati Concilij præponatur: tamen ea cautione Innocentius ſatis declarauit, ab initio ſic fuiſſe comparatum, vt pro Imperij magnitudine atque dignitate Eccleſijs honores deferantur. Atque id ipſum poſtea liquidius deprehenſum atque cognitum eſt, cum in ſynodo Conſtantinopolitana prima actum eſt vt illius Ciuitatis Epiſcopus poſt Romanum Pontificem proximo loco honoreq; haberetur, quia Conſtantinopolis eſſet inſtar nouæ Romæ. Cumq; multis poſtea annis in Calcedonenſi Concilio interueniret idem decretum: ſolus Leo Pontifex Romanus obſtitit atque reclamauit, etſi Orientales Patriarchæ omnes quorum maximè intererat, aſſenſi ſunt, ipſeq; Alexandrinus Patriarcha, cuius honori Leo maximè derogatum eſſe cenſuit. In qua cauſa non aliud Leonem qui ſuo loco Romæ integer ac illęſus manebat mouere potuit, quàm ambitio. Proſpexit enim cum, quæ Romana gloria fuit Imperium Conſtantinopolim ſequeretur, atque Romam ſenſim deſereret: Conſtantinopolitanum Patriarcham ſecundo loco contentũ non futurum, ſed de Primatu cum Pontifice Romano tandem apertè pugnaturum. In quo eum non fefellit opinio. Namq; paulò poſt Iohannes Conſtantinopolitanus Patriarcha, cuius tam intolerabilis fuit elatio, vt Epiſcopatus ſui fines cum Imperij finibus dilatare cuperet,

Romani Pontifices timuerunt ne tranſlato Conſtantinopolim Imperij loco, Primatus etiam eò deduceretur Roma.

Contentio de Primatu inter Romanũ Pontificem, & Conſtantinopolitanum Patriarcham.

vniuersalem se Patriarcham edixit atque publicauit. Cui summa contentione Gregorius Pius sanè Romanus Pontifex restitit, non vt eam sibi authoritatē vendicaret, sed tanquam impiam ac scelestam a quocunq; vsurpari prohiberet. Huiusinodi tum fuit ratione Imperij de Ecclesiastica inter Romanos & Constantinopolitanos Episcopos maioritate (vt aiunt) digladiatio & contentio. Quam si a Christo, aut Apostolis prius definitam ac compositam sacra tunc Oecumenica consilia statuissent: causa non esset cur aut illi tunc inter se litigassent, aut nos hodie laboraremus. Sed cum planè ex Annalibus compertum sit Iohānem ope Mauritij Imperatoris sic adiutū fuisse, vt a proposito nunquam recesserit, ac Cyriacum alterum a Iohanne Patriarcham Constantinopolitanum ab eodem Mauritio incitatum, inexorabilem etiam sese præstisse, tandem verò Phocam qui cæso Mauritio Imperium inuasit, Romanis, eò quòd ab illis nullo reclamante coronatus esset, amiciorem Bonifacio tertio, eum, quem Constantinopolitani expetebant, & Gregorius recusabat, titulum concessisse, vt Roma omnium Ecclesiarum caput haberetur: cur non ambitione magis, quàm vllo Christi aut Apostolico instituto exortam inter Pontifices hanc contentionem dicerem: non vter esset, sed vter imperaret. Roma ne suis se finibus contineret, an in alienos incurreret: quod perinde est ac si quis quereret, suos ne tueri, an alienos violare magis deberet. Sed vt ad id perueniamus quod docere instituimus, quomodo ex ruina Imperij hanc quàm iam vendicat Ecclesiasticam Monarchiam sibi Roma acquisiuit: non dum a Phoca dirempta

Lib. 7. Epist. 30

Gregorius Papa Primatus titulum exœcratur.

Bonifacius tertius ope Phocæ Imp. primus vendicauit Primatū.

dirempta est controuersia. Orientales enim Ecclesiæ, Græcia scilicet atque tota Asia ita Romani Pontificis Imperium recusabant, vt ab eius Cõmunione prorsus decesserint, tum Occidentales omnes aut infirmas ac direptas, aut non aliter q̃ ipsæ vellent obtemperantes inuenit, donec Zacharias Pontifex Romanus Pipino Galliam occupanti ad perfidiam & latrociniũ adiutor fuit, vt pulso Hilderico legitimo Rege, regnum tanquam predæ expositum raperet, atque hanc mercedem ab eo tulit, vt in omnes Ecclesias Gallicanas Pontifex Romanus summam Iurisdictionem Ecclesiasticã haberet. Itaque vt latrones existimant (quorum facinus est commune, eorũ quoque debet esse præda communis) ita partiti sunt inter se Pipinus atque Papa Galliæ spolia, vt is in Regnum, hic in Ecclesiam Gallicanam non sine summo scelere inuolaret. His gestis, cum hoc nouum Ecclesiarum caput Romanum authoritate sua tantum potuit, vt in creandis atque abdicandis ipsis Regibus vim habere cœperit: in ipsum Imperium cuius opera ad tantam Ecclesiasticæ Iurisdictionis magnitudinẽ ascenderat, suas vires retorsit. Namq; haud ita diu post Carolus Magnus Francorum Rex, ac Dux in Gallia, Hispania, Germania, & Italia victorijs clarissimis Occidentales omnes pene Ecclesias deletas restaurauit, & Pontifici Romano subiectas effecit. Itaque Adrianus primus Papa cum occasionem oportunam nactus esset, a Iurisdictione Constantinopolitani Imperatoris sese eximendi, Carolum Occidentaliũ Imperatorem coronauit, & Lateranensi celebrato Concilio cum Occidentalibus tantùm Episcopis sanxit, vt electio Ro-

Orientales Ecclesiæ suscepto a Pontifice Primatu, a Romanæ Ecclesię communione discessernnt.

Zacharię Pontificis cum Pipino Galliam occupante cõfederatio.

Carolus Magnus Occidentales omnes Ecclesias subiecit Romanæ.

Tutela & electio Romani Pontificis, cum eiusdem & Episco. omnium inuestituris Carolo magno concessæ.

mani Pontificis, Archiepiscoporum, & Episcoporum cum omnibus inuestituris sub pœna Anathematis atque proscriptione bonorum in Caroli authoritate atque potestate essent. Ita tunc tutela Pontificis a Constantinopolitanis Imperatoribus ad Carolum peruenit, & Imperium Occidentale penes Francos centum pene annis fuit, postq̃ Carolus cum Constantino filio & Eirene eius matre Constantinopoli imperantibus de Imperio ita partiendo transegisset, vt is Occidentale, hic Orientale Imperium gererent. Atque non dum ad summum apicem & fastigium ascenderat ista Monarchia Papalis. Namq; adhuc electi Pontifices ab Imperatore confirmari, & inuestituras ab eo solebant accipere. Sed vt ab omni officio & obsequio Imperatoribus præstando penitus liberari possint, postq̃ & Imperatoris Cõstantinopolitani authoritatem cum tanta Imperij iactura abiecissent, & in Imperijs Regnisq; quocunq; libuit deducendis atque transferendis exercitati essent, cum eorum etiam opera a Gallis ad Longobardos Italos, ab his rursus ad Germanos Romanũ Imperium postea perueniret: ita calliditate, dum in his pro Imperio dimicationibus Romani Pontificis opera implorabatur, omnia inuersa & commutata sunt, vt nihil officij Pontifices Imperatoribus, sed Imperatores illis accepta omnia debere viderentur. Atque tunc ad suum vigorem atque maturitatem existimari conuenit Romanorum Pontificũ iniustè acceptam, & supra Reges atque Cæsares elatam authoritatem perucnisse, cum vtrumq; se gladiũ nec frustra gerere, cumq; in omnes non modò Ecclesias, sed Ciuitates, atque prouincias,

Pontificiæ potestatis incrementa.

Crebra Imperii mutatio Pontificibus acquisiuit magnitudinẽ potestatis.

&

& tam ciuiles quàm Ecclesiasticos Magistratus potestatem exercere posse statuit. Itaque fraude & malitia, quibus semper nitebatur suprema tandem potestas Romæ cumulata & expleta est. In quo explicando etsi longius quàm existimaui sum progressus: tamen pro rei magnitudine pauciſſima eorum quæ in hanc sententiã adferri possunt attigi: vt intelligamus hanc quam Pontificij vendicant Ecclesiæ Monarchiam, nõ a Christo iussam, non ab Apostolis institutam, non a Petro vel Romæ, vel quouis gentium inchoatam & incęptam: sed in ambitioſiſſimis ac maximè deprauatis Ecclesiæ temporibus sensim ab ipsis Pontificibus vsucaptam fuisse, nec Pontifices Christum, Apostolos, aut Petrum pro eius iure obtendisse, antequam in tam sublimis Tyrannidis solio & possessione fuissent. Quid enim horum infirmare Sandere potes? ea ne in Gratiano Pontificum rescripta negabis? aut a me aliter dicta quàm ibi sunt scripta calumniaberis? Num conciliorum commemoratorum decreta a me ementita? Pontificum cum Patriarchis de maioritate luctas atque contentiones confictas: Phocæ, ac Pipini nefarias, illius in Imperium, huius in Regnum coniurationes? Pontificumq; cum illis in tantis flagitijs conspirationes: ipsius Caroli a Papa acceptam Imperij diuisionem, eiq; ac suis successoribus Occidentalibus Augustis delatam Romani Pontificatus tutelam: ratihabitionem, atque Ecclesiarum omnium inuestituram: Imperij rursus a Gallis ad Longobardos, indeq; paulò post ad Germanos, cum quibus demum constitit, translationẽ: Pontificum inter has mutationes atq; turbas ab imperiali nexu, cui ante subiecti essent,

Pontifices Euangelium pro Primatu non antea obtenderunt q̃ eum nacti essẽt.

liberationē falsam esse redargues? Cur quæso? Quia a nobis, contra vos, vestramq; Monarchiam prolata sunt. Equidem id fateor quòd in Gratianis rescriptis, nec Romanę sedis Primatum, nec huiusmodi prouinciarum atque parochiarum in regionibus atque Ciuitatibus secundùm ciuilem Iurisdictionē distinctiones, D. Petrum præcepisse concedimus. Id enim suo more atque dominandi cupiditate vel Papas falsò affirmasse, vel Gratianum callidè inseruisse putamus. Sed quòd ex magnitudine Imperij Roma tam immanes vires nacta sit, & ceteræ Patriarchiæ atque Metropoleis ex ciuilis potestatis sublimitate in his gentibus atque vrbibus in quibus locabantur maiores inter se fuerint: quilibet nisi qui auertat mentis aciem perspicere clarè potest. Et quidem in Patriarchalibus atque Metropoliticis sedibus, etsi in vestra Monarchia ad Petrum solum referenda tam curiosi atque cauti estis: hæc vera esse negare nullo modo potestis. In quo vestrum est supra omnium Dialecticorum regulas admirabile sanè & stupendum acumen, quod omnibus similium cognatarumq; rerum exemplis & circumstantijs victi: tamen propositi tenaces, in præsenti semper instetis, vt quod in omnibus Patriarchijs, Metropolitibus, Episcopatibusq; per totum orbem terrarū verum fuerit, vt secundùm locorum dignitates maiores illustrioresq; fuerint: hoc tamen in Roma haud ita esse censeatur. Monstri igitur similem Romam nobis proponitis, quæ nullius alterius sedis similis esse vult. Iam verò si de his quæ de Imperatoribus, Pontificibus, & Patriarchis a me dicta sunt, cōtrouersiam Sandere facis: si de genuino historiarum sensu, disertisq;

Gratianus apertè mentitur D. Petrum præcepisse, vt iuxta Ciuitatū magnitudinē Episcopatuū maioritas statueretur.

Roma monstri similis.

verbis

verbis agere libeat, nec de iniqua interpretatione cõtendere: tibi ipsi atque alteri Burdegalensi Chronographo consarcinatori tuo, cui multum debes, quia hoc Monarchicum, & cætera opera tua encomijs celebrauit, vt tu illi vicissim reddas laudes atque gratiam: ex vestris scriptis, ex quibus pleraq; quæ ad hanc rem pertinent contra vos sumpsi, testimonium dicam. Quid tu de Carolo, & Imperij translatione, quid ille etiam scribat? an non Papæ attribuitis vtriq;? Tu mulctatum a Papa fuisse Augustũ Romanæ vrbis Imperio, & magna parte Italiæ: ille confugisse Pontificem ad Caroli magni patrocinium contra Constantinopolitanum Cæsarem, eiq; electionis suæ ratihabitionem, omniumq; Ecclesiarum inuestituram detulisse scribit. Tu concilium, voluntatem, & authoritatem Papæ in transferendis Imperijs probas atque laudas: ille primò ambitionem, deinde necessitatem, vt se patrocinio Caroli tueretur, prodit. Cur vos in tam varios sensus historias torquetis? qui in hac erigenda tuendaq; Monarchia iurati conspiraſtis? Nemo ne in tam celebri atque copiosa Monarchiæ vestræ Republica operã dare voluit, vt antequam opera vestra prodirent, sibi essent consentanea atque reducta ad concordiam. Quid Iohannes Fowlerus Typographus iam Louanienſis, ex cuius officina vestrorũ operum scaturigo exijt, in tua Sandere schola primum Wintoniæ, deinde Oxoniæ quondam institutus, cum prælo iam operam dat, & facultate doctrinæ præditus sit: in re tantilla temeritati vestræ prospicere noluit? Malè sanè de vobis meritus est, sed de Regina atque patria peius. Namq; regni sereniſſimæ nostræ Reginæ anno primo,

Lib. 7. pag. 434. & 443.

Chronographiæ in duas partes distinctæ Lib. 1. pag. 121.

Iohan. Fowlerus postq̃ multis annis Wonstonam rectoriam in Wintonienſi diœcesi posſedisset, Louanium ad Pontificios profugit, eorumq; opera typis edit.

liberationē falsam esse redargues? Cur quæso? Quia a nobis, contra vos, vestramq; Monarchiam prolata sunt. Equidem id fateor quòd in Gratianis rescriptis, nec Romanę sedis Primatum, nec huiusmodi prouinciarum atque parochiarum in regionibus atque Ciuitatibus secundùm ciuilem Iurisdictionē distinctiones, D. Petrum præcepisse concedimus. Id enim suo more atque dominandi cupiditate vel Papas falsò affirmasse, vel Gratianum callidè inseruisse putamus. Sed quòd ex magnitudine Imperij Roma tam immanes vires nacta sit, & ceteræ Patriarchiæ atque Metropoleis ex ciuilis potestatis sublimitate in his gentibus atque vrbibus in quibus locabantur maiores inter se fuerint: quilibet nisi qui auertat mentis aciem perspicere clarè potest. Et quidem in Patriarchalibus atque Metropoliticis sedibus, etsi in vestra Monarchia ad Petrum solum referenda tam curiosi atque cauti estis: hæc vera esse negare nullo modo potestis. In quo vestrum est supra omnium Dialecticorum regulas admirabile sanè & stupendum acumen, quod omnibus similium cognatarumq; rerum exemplis & circumstantijs victi: tamen propositi tenaces, in præsenti semper instetis, vt quod in omnibus Patriarchijs, Metropolitibus, Episcopatibusq; per totum orbem terrarū verum fuerit, vt secundùm locorum dignitates maiores illustrioresq; fuerint: hoc tamen in Roma haud ita esse censeatur. Monstri igitur similem Romam nobis proponitis, quæ nullius alterius sedis similis esse vult. Iam verò si de his quæ de Imperatoribus, Pontificibus, & Patriarchis a me dicta sunt, cōtrouersiam Sandere facis: si de genuino historiarum sensu, disertisq; verbis

Gratianus apertè mentitur D. Petrum præcepisse, vt iuxta Ciuitatū magnitudinē Episcopatuū maioritas statueretur.

Roma monstri similis.

verbis agere libeat, nec de iniqua interpretatione cõtendere: tibi ipsi atque alteri Burdegalensi Chronographo consarcinatori tuo, cui multum debes, quia hoc Monarchicum, & cætera opera tua encomijs celebrauit, vt tu illi vicissim reddas laudes atque gratiam: ex vestris scriptis, ex quibus pleraq; quæ ad hanc rem pertinent contra vos sumpsi, testimonium dicam. Quid tu de Carolo, & Imperij translatione, quid ille etiam scribat? an non Papæ attribuitis vtriq;? Tu mulctatum a Papa fuisse Augustũ Romanæ vrbis Imperio, & magna parte Italiæ: ille confugisse Pontificem ad Caroli magni patrocinium contra Constantinopolitanum Cæsarem, eiq; electionis suæ ratihabitionem, omniumq; Ecclesiarum inuestituram detulisse scribit. Tu concilium, voluntatem, & authoritatem Papæ in transferendis Imperijs probas atque laudas: ille primò ambitionem, deinde necessitatem, vt se patrocinio Caroli tueretur, prodit. Cur vos in tam varios sensus historias torquetis? qui in hac erigenda tuendaq; Monarchia iurati conspiraſtis? Nemo ne in tam celebri atque copiosa Monarchiæ vestræ Republica operã dare voluit, vt antequam opera vestra prodirent, sibi essent consentanea atque reducta ad concordiam. Quid Iohannes Fowlerus Typographus iam Louanienſis, ex cuius officina vestrorũ operum scaturigo exijt, in tua Sandere schola primum Wintoniæ, deinde Oxoniæ quondam institutus, cum prælo iam operam dat, & facultate doctrinæ præditus sit: in re tantilla temeritati vestræ prospicere noluit? Malè sanè de vobis meritus est, sed de Regina atque patria peiũs. Namq; regni sereniſſimæ nostræ Reginæ anno primo,

Lib. 7. pag. 434. & 443.

Chronographiæ in duas partes distinctæ Lib. 1. pag. 121.

Iohan. Fowlerus postq̃ multis annis Wonstonam rectoriam in Wintonienſi diocœsi possedisset, Louanium ad Pontificios profugit, eorumq; opera typis ædit.

primo, fidem de renuntianda Pontificia potestate iureiurando dedit, vt in Wintonienſi Diocœſi opima quadam Rectoria potiretur. Poſteaq; periurij atque perduellionis reus vobiſcum vnà profugit, & cum illa Rectoria, cuius fructibus contra Reginam Patriamq; proditor alebatur, per abſentiam mulctandus eſſet: eam ſumma in iure contentione interpoſito procuratore litigans, aliquot annis retinuit: tandem in Iure ſuperatus, contra fidem & Iuramenti religionem, ab officio in Reginam patriamq; debito nefariè receſſit, & in veſtris delirijs atque inſanijs audendis occupatur. Vobis igitur hũc Typographũ fidũ fore ducitis, cuius tam egregia in Reginam atque patriam perfidia nota eſt? Verum tam latè patent inter vos fidei & iuramentorum violationes, vt a Monarcha veſtro, cuius authoritate omni religionis vinculo ſoluti eſtis, facillimè vobis remittantur, impuneq; eius cauſa liceat in patriam, principes, ac parentes, quorum ius debet eſſe ſanctiſſimum, nõ modò fidem & iuramenta frangere, verumetiam maxima ſcelera perpetrare. Et vobis eorum fides probatur maximè, quorum ſummæ exiſtunt impietates contra patriam. Sed vt ad id redeam quod de hac Monarchia dicendum fuit. Cum labefactato & diuiſa ſua fraude imperio vires acquiſiuiſſet, & ad ſummam malitiam peruenisſet: perindè videtur ſtatum ſuum cõfirmaſſe, atque Ciceronianus ille quondam Labeo cum de agrorum finibus inter Nolanos & Neapolitanos arbiter datus eſſet, ita vtriſq; fines in componenda lite ſtatuit, vt agrum inter vtroſq; medium eis adimeret, atque populo Romano adiudicaret. Ita Romanus Pontifex cum de Imperio diuidendo

Papa pontificibus remittit datam Euangelicis iuramentorum fidem.

dendo ageretur, idq; crebris mutationibus turbaretur: tanta calliditate rem tractauit, vt se prius subditũ, deinceps non modò liberum & immunem, sed ipsis Cæsaribus priorem & superiorem effecerit.

Romana Ecclesia ex diuisione mutationeque Imperii, se extulit supra Imperium.

Romanæ Monarchiæ culmen seu ἀκμὴ.

IN tam excelso itaque culmine & fastigio collocata Romana Ecclesia, cum Imperatorum nexus ita exuisset, vt se non modò subiectam nulli, sed omni tam ciuili quàm Ecclesiasticæ præesse Iurisdictioni affirmaret: omnium gentium litibus & querelis forum suum atque tribunal impleuit: Pontificesq; Romani priorum Cæsarum exempla secuti, vt illi Proconsulibus, & præsidibus prouinciarum in iure consulti per orbem Romanum rescribere solebant: sic Pontifices Episcopis, & his qui Ecclesiasticæ Iurisdictioni præfuerunt per suam ditionem in Occiduis regnis acquisitam rescripserunt. Ac Cæsarum rescriptis illa pars iuris Ciuilis constat, qui codex Iustinianeus appellatur, in quo pleraq; quæ ad statũ religionis pertinent salubriter ab ipsis Imperatoribus constituta sunt. Sed cum Pontifices authoritatem Imperatoriam siue vi, siue calliditate & astutia ex vrbe Romana profligassent: Cæsarum rescripta cessarunt, cœperuntq; Pontifices de singulis rebus Ecclesiasticis, immò sæpe de ciuilibus, omissis in tam turbato Imperio Cæsaribus soli consuli atque rescribere. Ex quorum decretis & Gratiani farrago consarcinata est, & Decretales Epistolæ a Gregorio nono collectæ, liberq; sextus Decretalium, Clementinæ item, & Extrauagãtes (vt vocant) constitutiones constant. Atque hæc illa sunt o-

13.

Neglecta Cæsarum authoritate, Romani Pontificis tribunal in singulis causis aditum est.

Pontificum decreta.

 racula,

racula, quæ hanc Monarchiã nobilitant & illustrant: in quibus etsi nonnulla satis e re atque vsu sint Ecclesiæ, pleraq; tamen intolerabilẽ superbiam atque dominatum ab Ecclesia non ferendum spirant. Quibus accedunt horrenda glossographorum & commentaria scribentium Axiomata, quæ oraculorũ vim hodie passim in ista Monarchia tenent. Papam, cum Christi sit vicarius errare non posse, nec esse purum hominẽ, sed media quadam natura inter Deum hominemq; constare, superiorem esse concilijs, & a nemine iudicandum. Et esse dominũ Deum nostrum, quem decernere non posse, quemadmodum statuit in Extrauaganti de verb. sig. c. cum inter nonnullos, quæ glossas notabiles, profundas, & ex sacræ Scripturæ fontibus haustas materias habere scribitur, hæreticum indicatur. Cuiusmodi Commentitijs delirijs Pontificij Theologi non modò adiungunt fidem, sed maxima admiratione applaudent, vt huic Monarchæ, tãquam Idolo suo adulentur. Atque hic vigor, & vt Græci vocant ἄυρα sublimis istius Monarchiæ constitit.

Portentosi Pontificum tituli.

In Extrauagãt. impressione vdatrici Gering. Parrisi. an. 1503. oct. 18.

**Acquisito Ecclesiarum Imperio omnia sacra Romæ profanata, nec vllam iam esse formam aut speciem Ecclesiæ Romæ, sed meram Anarchiam.**

14. QVæ cum effrẽni dominandi cupiditate elata, seruare modum non potuit: non modò tam grauis Ecclesijs singulis, sed Imperijs atque regnis molesta & odiosa visa est: vt eius tandem cultu & obseruatione neglecta, deserta pene iam atque repudiata a plurimis prouincijs, eas quas habet non fide, sed inumani ferocia retineat. Neq; sanè de hac eius tyrãnide

iam

iam nostra ætate recens, sed multis antea sæculis vetus fuit querela. Dixit quondam non insulse quidam, Romanam (quæ quondam fuit) Ecclesiam, non amplius iam esse Ecclesiam, sed Aulam atque Curiam. Ex eo enim tempore, cum vnus omnia sibi sumeret, ac se sine modo cōtra ius & fas extollere magis magisq; pergeret: res passim in deterius prolapsæ sunt: cum ad arcendam eius libidinem etsi multæ peneq; singulæ Ecclesiæ conquestæ sint, paucæ tamen se audacter opponebant: quibus etsi animus ac voluntas non defuit, carebant tamen atque destituebantur potentia. Hic si annales nostros proferrem, & ex ipsis Monachis Anglicis satis religiosis Papę cultoribus recitarem omnia quæ de Romanæ curiæ intemperātia, libidine, rapinis, ambitione, atque simonia scripta sunt: tam longus esse poteram, vt teipsum (Sandere) magnitudine libri superarem. Neq; dubium est quin reliquæ Christianæ gentes, quibus imperitabat, eius sceleratas & auaras manus perinde atque Anglia sæpe senserunt. Sed eis omissis: qualis & q̄ prodigiosa Romæ omnium sacrorum profanatio, totiusq; Ecclesiastici ordinis dissipatio iam diu fuerit, copiosissimus atque locupletissimus testis esse potest insignis ille pietate pater Bernardus. Is conqueritur ex toto orbe confluere Romam, ambitiosos, auaros, symoniacos, sacrilegos, concubinarios, incœstuosos, & quęcunq; huiusmodi impietatis monstra. Iudicandi modum tunc vsitatum, execrabilem esse dicit, & non modò Ecclesiæ, sed litigioso foro indecorum. *Pauci* (inquit) *ad os legis latoris atque Iudicis, ad manus omnes respiciūt.* Tandē de immoderata & effræni illa sedis Romanæ

Romana Ecclesia ad tyrānidem, atque luxum deflexit.

Diuina omnia sensim Romæ profanata.

Bernardus.

in captanda omni iurisdictione licentia, his verbis cõcludit: *Murmur loquor & querimoniam communem Ecclesiarum truncari se clamitant ac demembrari. Sic facilitando probatis vos habere plenitudinẽ potestatis, sed non Iustitiæ. Facitis hæc quia potestis, sed vtrum etiam debeatis, quæstio est. Si auderem dicere, Dæmonum magis quàm ouium pascua hæc. Curia Romana recipere bonos, magis quàm facere consueuit. Mali enim illic non proficiunt, sed boni deficiunt.* Quæ ex multis referre libuit, vt lectores eos Bernardi libros euoluant, atque perspiciant, quãtopere Roma a Christianæ Ecclesiæ statu illis temporibus concidisset, & ad eiusmodi quærelas atque gemitus omnes Ecclesias sua tyrannide coegisset. Quod si nunc Bernardus viueret, & ita vt nũc cernimus dissipatum atque vastatum Christi regnum, conturbatam omni crudelitate Ecclesiam, munus pastorale in latrocinium conuersum, Pontificem qui se vicarium Christi appellat, carnificem atque mactatorẽ Christianorum videret: hunc tantum Monarcham Tyrannum & Antichristum, Romam non Ecclesiam, sed dæmonum ac latronum speluncam, nec formam aut speciem Ecclesiæ, sed laruam pronuntiaret. Iam verò quoniam tu Sandere, labentem & ad ruinam vergentem Romam tam splendido Monarchiæ titulo fulcire ac restaurare velles: videamus paucis quo id artificio facias. Magnus enim atque instar totius orbis Architectus eris, si id fabricare possis. Colligis ex Philosophis Rerumpublicarũ status, Democratiam, Aristocratiam, atque Monarchiam siue Basiliam. His administrandi generibus, vt Rempub. sic Ecclesiam esse statuis gerẽdam. Quis hoc tibi primum Sandere

De consideratione ad Eugeniũ lib. 3.

Sanderus cadentem Romã nouo saltem titulo sustentat.

concesserit? Cum Christus Regnũ suum non esse de hoc mundo dixit, existimare nobis magis conuenit eius administrationẽ a mundana esse longè diuersam. Oportuit enim tua ratione Apostolos cũ Ecclesiã primò fundassent, ex Aristotele, Platone, atque Philosophis: nõ a Christi spiritu eius gubernãdi rationẽ didicisse. Poterã hoc in loco argutè atque diu tecum Sandere contendere, atque probare in prima Ecclesiæ Apostolorũ institutione omnia humanis istis ac Philosophicis politijs fuisse dissimillima, vt Monarchiã tuã ab omni Ecclesię gerendę statu prorsus seiungerem. Hoc tantũ dicã: etsi τάξις (hoc enim verbũ ex scripturis profero) in Ecclesia sit maximè necessaria: tamẽ nõ esse eam hominũ aut Philosophorũ prędscriptis regendi formulis coercendã. Sed tu quid in tanti voluminis mole prędstitisti, videamus. Octo libris opus tuũ absoluis, in primo demonstraturũ te polliceris, Ecclesiæ gubernationẽ non esse populare, in secundo non esse penes optimates. Mihi sanè hęc concedere nõ erit valde incõmodum, qui eam nulla Philosophica politia constitutã esse aio. Sed si negarem: tu eorũ nihil profectò in illis libris probas. Poteram tuam non modò in Theologia, sed in Philosophia insciciam, dum has politias tam imperitè tractas indicare. Sed hic finis, hic scopus est, hic portus, ad quem expansis velis contendere cupis, vt Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Monarchiam, eiusq; Pontificem Monarcham proponeres. Multi sanè ante vos illam primam Ecclesiam, & Primatum, multi Ecclesiarum omnium matrem, atque caput, Pontificem item vniuersalem Episcopũ & Christi vicariũ, Ecclesiæ itẽ visibilis

In Ecclesia instituenda philosophorũ nõ est necessaria doctrina.

Sanderus id re non præstat quod de sua monarchia verbis est pollicitus.

Monarchia, nouissimũ nomen inuentũ Pontificiæ potentiæ.

Hierarchiam aliqui dixerunt. Monarchiæ verò attributa Romæ vox post amissum Imperium recens ac nuperrimè a vobis fuit, neque aliud nobis designare, q̃ Antichristi regnum potest. Si enim post quatuor Monarchias vaticinatum est a Daniele, exortura post quartam aliam mendacijs & blasphemia in Deum plena: profectò hanc eam esse perspicuum est. Quid enim habet Ecclesiæ Christi simile. Nullę sunt a Papa atque Cardinalibus de rebus diuinis habitę ad populum Conciones. Nam id muneris tanquam sua sublimitate indignum, nõ modò Papa atque Cardinales, sed Episcopi & Prælati per Italiam cuncti respuunt, & cum fastidio magnoq; supercilio fraterculis quoties de concionando loquuntur, cum hac ignominia detrudunt. *E' cosa da fratri.* Disciplinæ verò cultus, vitæq; seueritas, his est luxus & profusa libido: quam ad rem teterrima totius orbis lupanaria, in quibus (quod dictu horrendũ est) pueri meritorij cum scortis permiscentur, non modò sine pudore publica, sed magno lucro atque quæstu Papæ sunt vectigalia: studia præterea eorum non in rerum diuinarum consideratione, sed vel in ambitionibus quibus modis ditari, & ad honores euehi possunt, vel insidijs meditandis quibus exteris, sæpe etiam sibi inuicem exitia parare possunt, omnia consumuntur. Forum eorum atque iudicia ex simonia, & Ecclesiarum mercatura tota conflantur. Christiq; Sacramenta in Idola & præstigia conuersa sunt. Hæc illa est Romanæ Synagogæ, quam Sanderus nominat Monarchiam, visibilis & externa species. Præter quam quicunq; Roma veniunt, nisi Cyrcæum poculum exhauserint, non aliam

Ecclesiæ Romanæ visibilis forma.

aliam se dicunt aut oculis aut auribus ibi posse deprehendere. Cuius Imaginem quid nobis exteris exprimere necesse est, cum ab ipsis Italis & a Boccacio præsertim Florentino, in ea narratione quam de Abrahamo quodam sui sæculi Hebræo mercatore Parisiensi facit, tam dilucidè & ad viuum depingatur. Is enim cum suasu Gianotti alterius mercatoris familiarissimi sui, a Iudaismo ad Christianam fidem conuertendus esset, cupere dixit se Romam, quam Ecclesiarum matrem, & Papam, quem Christi vicarium appellabant, inuisere, eiusq; atque Cardinalium mores conspicere. Is cum ibi aliquandiu fuisset, tandemq; reuertisset: interrogatus, quid de Romana Ecclesia sentiret, respondit: mirari se quonam pacto ea, quæ nihil in se habuit diuinæ religionis, sed omnia diabolicæ sententiæ instar, Ecclesiæ Christianæ nomine tam diu stare potuit. Hoc autem quia non nisi admirabili dei potentia atque miraculo fieri posset, vt post Iudæorum statum labefactatũ & dispersum, tam florentes atque firmæ sub Christi solo nomine sine vlla eius imitatione, res Romanorum permanerent: non recusare se baptismum, nomenq; Christiani. Si igitur is ducentis amplius antea annis indicauit non aliud tum fuisse Romæ, quàm inanem vmbram atque titulum Ecclesiæ Christianæ: nunc cum infinitis partibus eam deteriorem esse constet q̃ tum fuerit, hoc nouo Monarchiæ titulo, quem rebus adeo amissis peneq; desperatis extulit, aperta contra Christum, etiã eius nomen falso vsurpet, ferre signa, eiq; bellum denunciare dicimus. Nam cum in ea summa impietas vigeat, summa crudelitas sæuiat, summaq; scelera regnent:

Bocca. Giorn. prima nouel. secunda.

nent: adhuc ſub eius vexillis & in ſuis caſtris Chriſtianos militare dicemus? An Eccleſiam Chriſti eam eſſe cenſebimus, quæ eiuſmodi ſummos ſacerdotes habet, quorum os neq; publicè denuntiat, neq; priuatim profitetur Euangelium? quorum manus ad communicanda populo ſacramenta vix aut ne vix quidē vnquam adhibentur? quorum vita non ad Chriſtiana, nam diſciplinam, ſed libidinem atque dominandi cupiditatem inſtituta eſt? qui deniq; ad capeſcendam Eccleſiam non ex Theologorū diſciplina, ſed ex Luciani ſchola profecti ſunt? Num nam hi Petri ſucceſſores ſunt? an illa eius Monarchia? Quando ille ſe Monarcham dici aut appellari, Sandere, voluit? Primus Apoſtolorum fuit. Fateor: ſit tamen hoc ordinis, non dignitatis nomen. Sed num ſolus imperauit cæteris, num Chriſtus illis omnem authoritatem abrogauit, & in ſolum Petrum tranſtulit? hæc enim fieri neceſſe eſt Sandere, ſi in Petro eiuſq; ſucceſſione Monarchiam ſtatuis. Quid quæſo, cum Romana Reſpub. neq; planè Democratica, neq; Ariſtocratica, ſed ex vtriſq; plebe ſcilicet patricijs atque ſenatoribus permixta fuerit, atque in vnius ſcilicet Auguſti Imperium tandem tranſierit: a populo vniuerſo actū fuit? An non omni tam legum quàm Iudiciorum ferendorum authoritate atque vi ſeſe abdicauit, & (vt diſertis Iuſtiniani verbis vtar.) *Lege Regia, quæ de eius Imperio lata eſt, populus ei & in eum omne Imperiū ſuum & poteſtatem conceſſit*. Itaq; fuit Romæ ante Monarchiam penes populum vniuerſum Imperium, Monarchia verò conſtituta ab eo ſponte abdicatum, & in vnum Cæſarem permiſſum atque traductum. Doce tu ſiue

Petrus nunq; geſſit Monarchiam.

Vt Monarchia conſtituatur neceſſe eſt vt omnes pietatē habentes ei cedant.

Iuſt. de iure natur. gent. & ciuil. 8. ſed & quod.

siue ex iure ciuili atque Pontificio, siue ex Euangelio, Apostolis, Patribus, Orthodoxis, atque Concilijs si potes: quando hæc æquabilis atque par Ecclesiarum gerendarum penes omnes Apostolos potestas, illis siue a Christo, siue sua sponte authoritate motis, in solum Petrum deriuata, aut eiusmodi de eius imperio lex Regia lata fuerit. Hoc si non potes (non enim potes) dum Monarchiam Ecclesiæ ad similitudinem illius Romani Imperij ineptè confingere velles: Anarchiam planè quasi digito ostendisti, in quam omnes inspicere, ac intueri ipsis oculis apertè possint. Quod enim priores ante Gregorium Pontifices tam claros sanctitate patres qui ab hac Monarchia prorsus abhorrebant, laudas, frustra laboras. Quis enim nostrum eis vnquam laudem detraxit? sed perinde facis atque hi: qui Romanã tam egregiam, & æquissimis legibus fundatam Rempublicam cum laudare volunt, ea quæ a Consulibus & in libertate illius Reipublicæ gesta sunt, ad Cæsarum Monarchiam atque tyrannidẽ imperitè traducunt. Sic tu dum hanc tuam Monarchiam exornare velles: profers nobis primæ Ecclesiæ Pontifices, qui Monarchiam omnem repudiarunt. Cicero vir consularis, disertus, atque Augusti testimonio amans patriæ, cum nihil iniquiore animo tulisset, q̃ quòd vnus Romæ authoritate senatus abrogata omnibus imperaret: conquestus est sæpe de consulibus, & prouinciarũ administratoribus quòd socios & confœderatos populi Romani tot iniurijs vexassent. Cui tamen Cæsarum crudelitates, Tiberij, Neronis, Caligulæ, Heliogabali & huiusmodi monstrorum plusquam barbaræ atque ferinæ im-

*Iniqua est Priorum ante Gregorium Pontificum, cum sequentibus comparatio.*

 manitates,

manitates, fæditatesq; fuerunt incognitę. Quid si tum vixisset? an sui temporis imperij similitudinem vllam ex illis Imperatoribus collegisset? An non imperium æquissimum, in turpissimam tyrannidem commutatum esse dixisset? Ita Gregorius qui nonnullam labem Ecclesiæ aspersam suo tempore conqueritur: & Bernardus qui tanta orationis vehementia in Romanam sub Eugenio Papa curiam inuectus est: si præsentem rerum Romanarũ statum aspiceret, cum Aenea Hectorem e mortuis horribili specie præditum intuente, cum nihil nisi cadauer infernale cernerent, exclamarent. *Heu quantum mutatus ab illo*. Si posteriores Gregorios, Paulos, Leones, Clemẽtes, ac præsentem Gregorium decimũ, bonum virum, immò bonum socium dicerem, qui cum veteribus Romanis Monarchis, Nerone, Caligula, atque Heliogabalo, meritò comparari possunt: suo loco succedere & tanquam impurissimas laruas atque histriones, non in ecclesia sed in scena stare viderent: quos gemitus, quęnam suspiria æderent? quantis lachrymis Romam deplorarent? in qua nulla iam Christiana Ecclesia, nullus religionis ordo, sed diuini ac humani Iuris perturbatio & confusio, omnisq; Anarchia atque rerum diuinarũ ἀταξία singulorũ oculis exposita esset. Hanc cum Monarchiam appellari audirent: amentiam ne magis an impudentiam admirarentur, stultitiam ne magis an improbitatem damnarent? His ego ductus, Sandere, rationibus Monarchiam tuam, Anarchiam, & Romæ hanc, perinde vt tu illam visibilẽ esse dicis: proinde ineptum, non modò vt nunc sunt res Romanæ, sed quando cum Ecclesia Christiana maximè con-

Lib. 1. aneid.

ἀναρχία seu ἀταξία Romana.

congruerint, eum libri tui titulum esse iudico. Tractabitur contra te a Theologo, cui otium suppeditabitur, vberius atque copiosius istud argumentum.

Ineptum esse a Sandero positum libri titulum, *De Visibili Ecclesia Monarchia*, nam visibilem Ecclesiæ Monarcham apertè designare Antichristum.

SEd tu interim in fronte libri, tanquam prima dimicationis acie, cum totius pugnæ discrimine, turpiter lapsus es. Nam de visibili Ecclesiæ Monarchia, non de visibilis Ecclesiæ Monarchia librum tuum inscribis. Ergo cum visibilem Ecclesiæ Monarchiam ponis, simul & visibilem Monarcham Ecclesiæ statuis: cum autem Papam esse vis. Papa itaque cum Ecclesię Monarcha sit, totius ecclesiæ est Monarcha: nam hoc ex iure ciuili didicisti. Indefinitum pronuntiatum esse instar vniuersalis. Quid ni? inquies. Si igitur Papa totius sit ecclesiæ Monarcha: cum tota ecclesia tam ex his qui in cœlis, quàm qui in terris degunt coalescat, vniuersim omnibus in ecclesia existentibus superiorē esse Papam relinquitur. Qua ratione & Christo se parem aut maiorem affirmabit. Id autem Antichristi proprium est. Papa itaque est Antichristus. Vides iam Sandere dum tantã Monarchiam Papæ tribuis: quò illa ex tuis ipsius enuntiatis reciderit. Neq; enim ego verba tua aliter ac a te scripta sunt, recenseo. Quod si aut Dialecticorum in trutinandis enuntiatis regulas, aut Iurisperitorum cautiones in rebus diuinis nō probas: agam ego tecum ex verbis tuis multò apertioribus ingenuè atque simpliciter, ne quid in me fraudis inesse sentias. Petrum a Christo, non indefinitè Ec- 15.



Lib. 7. pag. 237.

cleſiæ,

cleſiæ, ſed abſolutè totius Eccleſię ſummum paſtorem conſtitutum eſſe ais. Eundem autem ſummum paſtorem & Monarcham ſtatuis, & Petro datam poteſtatem ad omnes Pontifices Romanos deducis. Fuerunt igitur illi ſinguli Eccleſiæ totius Monarchę, ſi totius, tam cœleſtis, quàm terrenæ. In cœlis autem plures Monarchæ eſſe non poſſunt. Efficitur itaque ex tuis dictis & conceſſis neceſſariò, Papam aut Deo maiorem, aut Antichriſtum eſſe. Omitto hîc tot quot a Petro fuerunt Monarchas, cum omnes vna in Ciuitate ſiue Dei, ſiue Diaboli erunt, quanta tum contentione de Primatu contendent. Tu autem nihil apertius Sandere, quod Deo, hominibuſq; odioſam reddat Romanam potentiam, dicendo, ſcribendoq; proferre potuiſti. Quòd ſi de viſibili Eccleſia intelligis, cur non addidiſti? immo cur tam diſertè, totius Eccleſiæ nomen adieciſti? Nunc ſi corrigere ſerò hunc tantum atque manifeſtum errorem vis, qui tibi incauto, vel potius rerum diuinarum ignaro excidit: memineris cuiuſmodi hominum ea vox propria putari debeat: *Non putaram*. Poſtq̃ itaque quàm ineptè opus tantum exorſus ſis, expoſui: quanto ſtudio Papæ ac Triumuiris tuis Cardinalibus, tibiq; ipſi præfando placeas: paucis indicabo.

Sanderus ipſe probauit Papã eſſe antichriſtum.

Tranſitio.

Pluribus fortaſſe verbis, quam neceſſe eſt, tecum egi Sandere de Monarchię titulo a Chriſtiana Eccleſia ita alieno atque diſiuncto, vt in eam conuenire nullo modo poſſit. Longior autem ideo fui ne errori tanto tam elatus titulus grandi operi præfixus fidem infirmis ſtrueret. Nam ne tu eiuſmodi excelſo, etſi inani titulo tanquam præiudicio Lectoris animũ prę-

occupares:

occupares: maximè elaborandum esse putaui in ingressu ac initio causæ, vt alium quàm tu fortasse expectabas quæstionis statum tibi commouerem: tum apertè declararem, id in quo contendis maximè, effici non posse, nisi in huiusmodi Monarchia quam proponis, Antichristi Regnum vnà collocares. Eo enim fundamento, quod tu firmissimum esse putabas, sublato: operis tui moles non alio magis vitio ruet, quàm magnitudine & prolixitate sua. Nunc quomodo iniquissimis patriæ contumelijs, in Pontificis atque Cardinalium gratiam insinuare tete studes, tuiq; opinione inflatus, de hoc tanto opere tuo iactitas, vt foris Gnato, domi Thraso, vbiq; Ganneo videaris: paucis (ad vltimam enim propositi mei partem festino) declarabo.

Sanderus ad Papam præfatur, eumq; falsis laudibus celebrat.

CVm Pontificem affaris: narras, cur opus tantum aggressus sis, atque idem Papæ dedicaueris. Tam præclari scilicet instituti, præclara reddenda ratio fuit. Ac primùm de Pontifice patrono immo Deo tuo, deinde de suscipiendi operis causa dicamus. Papæ donum quod habes maximum ideo concedis, quia is omnium hominum maximus atque præstantissimus tibi videtur. Dona ais atque munera primò debentur deo, deinde ei qui Deo sit proximus. Is autẽ est papa, qui nõ modo populis, sed principibus imperat, te scilicet ei Monarchiam decernente. Deinde non magis dignitate quàm virtute, prudentia scilicet, Iustitia, mansuetudine, in deum, 16.

Sanderus post Deum proxime colit Papam.

atque homines charitate, vitæ continentia, atque humilitate superare omnes contendis. Hęc te potissimũ causa ad scribendum Papæ de Monarchia prouocauit. De illa dignitate verum ita præstet omnibus ac Deo æqualis penè sit: omnis inter nos controuersia est. De tanta verò virtutis excellentia, qualem tu Sandere in huiusmodi Monarcha tua potius oratione quàm ipsius vita expressam fecisti: haud ita existimare possumus. Sed vtrum hęc quę summa & admirabilia esse vis, sint saltem in eo mediocria, vt non totius virtutis Idæa, sed aliqua eius significatio elucere in Romano Monarcha possit, valde dubitamus. Nam quicquid de virtute ac religione in eo dicitur: non genuinam sed adumbratam fictamq; speciem, fallaciamq; atque fucum arbitramur. Ac fieri potest vt errem, sed ita planè sentio: vix aut ne vix quidem fieri posse, vt Romani Pontifices, ab insitis & innatis tam inueterata maiorum consuetudine Romanæ sedi vitijs abduci aut recedere possint: vt autem summæ virtutis apicem culmenq; attingant, ne tu quidem mihi suadere potes. At fuerunt (inquies) post Neronẽ, Caligulam, & tot plusquam barbaræ feritatis Imperatores Traianus, Alexander, & Marcus Philosophus, alijq; nonnulli qui Imperatoriæ celsitudini virtutis & doctrinæ ornamẽta adiecerunt. Quibus inter Papas Pius quintus Monarcha comparari potest. Sed memineris ne cum nimium ac supra modum laudas: non modò ipse in adulationis suspicionẽ venias, sed eis quos ornare velles, fidem & existimationem detrahas. Ego enim cum de Monarcha tuo tam multa prædicares: non modò incredibilia ea esse putaui, sed etiam ratus sum Monar-

Pontificum virtutes non veræ, sed a scriptoribus fictæ.

cham

cham ab his quibus tu eum celebras virtutibus tam longè abesse, vt contrarijs potius vitijs totus inquinetur. Atque hanc mihi opinionem tute commouisti, cum eum humilem esse dicas, qui Regibus ipsis imperat: cum Romæ rerum gubernacula tenentem Monarcham deseruisse mundum affirmes: cum charitate in omnes homines affectum, cum qui tantæ in Gallia nuper cædis atque gentium vastitatis author fuit, statuas. Hanc cum ex tua oratione varietatem & inconstantiam colligam: quid de præconio atque celebratione tua iudicem? Humilis ne tibi videtur is qui superbè minatur principibus, nisi sibi pareant? Aut mundum atque res humanas despicit, qui Romæ præest rapinis, & mercaturæ Ecclesiarum? Gregorius cõquestus est sub specie Episcopi Romani se reductum fuisse ad sæculum quod ante deseruerat. Ita tum in Romano Episcopatu gerendo negotiorum multitudine a consideratione rerum diuinarum abducebatur, vt scribat se venisse in altitudinem maris. Quod si administrationem illorum temporũ mundũ atque mare appellauerit: quo nomine præsentẽ Papatum designaret? Quid si Monarcham illum, cuius vox nunq̃ e sacro suggestu audita est, cuius nunquam in veritatis constantia factum periculum: in tribunali tam litigiosi fori sedentem, vbi periuria, atque acta simonia omniq; falsitate plenissima, Iudicum aures personant, & chartas ac membranas complent, intueretur: deseruisse eum mundum, an solum mundum affectare pronunciaret? Si verò auxilia bellica & copias militares non ad sui defensionem, sed Christiani sanguinis effusionem comparantem sciret, tum callidissima

Sanderi in Papa laudando inconstantia.

Gregorius conquestus est in papatu gerendo se ad mundum fuisse reductum.

confingentem consilia, quibus gentes Christianas & externis bellis, & intestinis tumultibus permisceret: in Christi ne regno, an in Antichristi, exortam hanc nuper Monarchiam diceret? Romam deniq; ipsam ita omni contagione sceleris inquinatam vt ad eius magnitudinem accedere nihil possit, mundum credo non agnoscere: sed tremens vt Gehennam abhorreret, ibiq; sedentem Monarcham inferni principem appellaret. Hic itaque Monarcha tuus quem mundū deseruisse ais, derelicto mundo non ad sydera cœlestia tendit, sed ad Romanam Monarchiam quæ nihil aliud est, quàm infernale Pluti imperium, enectus est. Ibiq; sedens Christianas gentes innumeris incommodis perturbat ac affligit. Hic ille est opere tuo solus dignus, quia patriam, quā tu ingratus ac sceleſtus, vt in eius regno municeps esses, deseruisti, suis dirisimpijsq; censuris concussit. Laudas eum enumeratis penè virtutibus singulis, sed probata nulla, cuiusmodi voces a Gnatonibus atque Parasytis qui adulādo in eorum hominum gratiam, qui vanitate orationis delectātur se insinuare studēt, liberè proficiscuntur.

Sanderus Papæ Gnato atq; Parasytus.

Egregia Papæ liberalitas in profugis & perduellibus subleuandis.

17. ITaque ab hac opera tua in qua alienis coloribus impudenter depingis Papam: ad aliam dedicandi muneris tui causam accedam, in qua tam beneficum nobis atque liberalem Monarcham proponis. Is vos exules, immo perduelles contra Reginam, atque patriæ libertatem, vt in eius Monarchia pessimam seruitutem seruiretis, suis donis auxit & locupletauit:

eos

ros etiam qui in Anglia ſuam Monarchiam ex animo & ſecretò tuentur, iuuat, erigit, atque conſolatur. Te verò ſeorſim per Cardinalem Hoſium Eccleſiaſtico affecit beneficio. Ex eo tu qui de eius munificentia tam copioſè narras, putas eo beneficio cæcatus, pari largitione ſubleuatos alios. Quod ſi ita eſſet: cur Storęus tuus victus inopia ad munus tam illiberale & ignominioſum detruſus eſt, vt illicitarum mercium perquiſitor & delator eſſet? Cuiuſmodi viros in noſtra Repub. quia fiſcum tot quęrelis onerant, & ſubditos delationibus grauant, promotores appellamus. Quibus nihil eſt ingenuis atque bonis viris odioſius. In eorum igitur numerũ Storęus vir de illa Monarchia optimè meritus, Papæ liberalitate relatus eſt: qui de viris induſtrijs ac labore victum honeſtè conquirentibus, vt lucrũ illicitum emungant, falſò conquærentur. Cuius tam præclari muneris præmium proditore atque delatore dignum tandẽ tulit. Sed de eo poſtea. Nunc de illa incredibili Papæ liberalitate dicamus. Hoc ſanè ab initio huius tuæ Monarchiæ inauditum Sandere fuit: ab arca Papæ vllam vnquam liberalitatem exteris fuiſſe profectam. Namq; cum ſingulis penè Chriſtianis prouincijs, tum Angliæ maximè, in exigendis pecunijs tam grauis & moleſta Curia Romana ſemper fuit, vt tum cum maximè inani ſuperſtitione coleretur, auaritia eius incredibilis & fraus in eis prætextu religionis expilandis, ab omnium ætatum ſcriptoribus, ipſiſq; adeo Monarchis reprehenſa ſit. Quæ ſi iam, vt Demea Terentianus, mutare perſonam, & liberalis eſſe ſtudeat, rectè ſanè facit, niſi quod tam prædaræ virtuti ſerò dare operam videatur. Si

enim id sibi propositum habeat, hac recenti atque sera liberalitate, argentum & aurum quo toties actam variis dolis emunxit Angliam, reddere : non sui turpis fori quæstus, nõ ex tot prouincijs illata amplissima vectigalia, non deniq; illa quæ Petri arca a Pontificijs appellatur, suffecerit. Sin verò hæc liberalitas tota vel a te ficta, vel a Monarcha simulata est, vt subditos a fide & officio ad Reginæ Patriæq; proditionem auocaret, & ad domesticos tumultus concitaret, vt ex Reginæ (quod absit) interitu, Regnique vastitate ac ruina tam horrendam ac superbam Monarchiam cõflaret : non hæc Sandere liberalitas, sed munerum corruptela, quæ seditiosos & perditos homines ad pessima quæq; in patriam molienda incendit, nuncupanda est. Cuiusmodi sanè inanis liberalitas te omni vera virtute vacuum amplexa, ita allexit, immo infatuauit, vt eam in præfationibus tanquam publicus præco, per Monarchiam suam celebrares. Si in te Sandere diuinæ Maiestatis timor, vel vllus liquidus scripturarum sensus inesset : nulla te munera contra Reginam, cõtra Patriam, tueri eam Monarchiam, quę non modò Angliæ Regnum, sed totius orbis imperium iamdiu affectauit, impulissent : ea verò oblata respuisses, oculos auertisses, manus cohibuisses, & cũ illo Troiano patriam amante in Virgilio exclamasses.

Lib. 2. aneid. *Timeo Danaos vel dona ferentes.*

Iam verò hoc tuo præconio & te, & illam sceleratam profugorum turbam, vestra studia, vota, ac conatus prodidisti, propediem scilicet fore (sic enim ais) vt omnia reuocentur ad Papismum. Ea de re missos a

Papa

Papa in Angliam Legatos, qui tã nobiles quàm plebeios ad id solicitarent, vt ex Regni desertione atque perturbatione Papismum restaurarent. Papã omnem ad eam rem curam & industriam suam vltro detulisse atque promisisse. Quæso Sandere, quando hæc spes recuperandi vestri Regni Papalis incessit? aut cuius suasionibus iniecta vobis est? Existimasti fore, vt Rebelles, qui superati ad vos se contulerunt, paratis a Papa Monarcha vestro nouis auxiliaribus copijs vobiscum vnà armati redirent, & cum his qui domi latent Pontificijs conspirantes, Reginam, Proceres, ac pastores nostros occultis insidijs, aut aperto marte adorirentur, ac eiusmodi immanem æderent stragem, qualis nuper in Gallia simulatis illis perfidis ac scelestis nuptijs perpetrata est?

Legati in Angliam a Papa missi.

Romani Legati quales, qualisq; Nicholaus Mortonus fuit.

18.

LEgatio autem illa, quam narras, publica ne an occulta fuit, tum quibus internuntijs celebrata est? publicis namq; apud nos fungi legationibus pontificios diu prohibuimus. Clandestini verò vestri nuntij non sunt dicendi Legati, sed ad seditionum occasiones arripiendas, rerum nostrarum exploratores, atque seductores populi. O mirifica huius Monarchiæ Religio atque disciplina, quæ nihil sanctè colit, ipsaq; adeo Legationum inuiolata apud omnes gentes iura profanat? Sordidi namq; & impuri nebulones postq̃ rem omnem abligurierint, & exhausti abiectiq; pudoris esse cœperint: ab hac Monarchia Legationis munera capiunt. Aliæ gentes in constituendis mittendisq; ad exteros legatis, ex probatissimis, prudentissimis,

Quàm sordidi sint Romani legati.

mis, & authoritate magna pollentibus viris, conſultò delectum habent, ne vllum dedecus aut infamiam ex eorum dictis aut factis Reſpub. illorum ſentiat. Romana verò Monarchia quæ nihil aliud eſt quàm totius orbis dedecus, Chriſtianiq; nominis infamia, vt quiſq; maximè abiectus atque profligatus eſt, ita ad eorum gerendas ſuſcipiendaſq; legationes eſt aptiſſimus. Hanc igitur ob cauſam Sandere, etſi legationis ius & maieſtatem præfando obtendas: tamen ipſum Legatum aliquantiſper celas. Qui non externus fuit, non Romanus, non Italus, nec Papæ quidem cõſanguineus, cuiuſmodi ſumma in vtramq; partem dexteritate viri, ex noſtris annalibus comperimus contra principum interdicta clam in Regnum intromiſſos ſæpius, vt ſubditos cenſurarum Papaliũ metu perterrefacerent, atque expilarent. Quis autem fuit iſte legatus ante librum tuum dedicatum nuperrimè a Papa miſſus, cuius nomen in Epiſtola ad Papam prætermittis, in receſſu operis profers. An non Nicholaus Mortonus Anglus, ſacræ Theologię Doctor, vnus ex præſbyteris qui pœnitentijs indicendis Romæ præfuit? Eum ego adoleſcens de facie noui Cantebrigię, virum ingenuæ atque liberalis gulæ, craſſiſq; humoribus inflatum atque tumidum, qui ſæpius in cauponulis perpotauit, quàm in ſcholis diſputauit: & in campis ad contentiones, q̃ in Academia ad bonarum literarũ gymnaſmata paratior ac frequentior fuit. Vbi autem Theologiam tam accuratè diſcere potuit, præter eam quæ Romæ vigeat, neſcio. Præſbyter ſanè Roma dignus, non vt beati Iheronimi ſæculum, ſed vt hæc ſæcula ferunt, ac multò magis dignus, qui cum

Sanderus celauit nomen papalis Legati.

Nichol. Mortonus qualis Legatus. Lib. 7. pag. 730.

in

in Patria, neq; bonorum neq; doctorum hominum consuetudine dignus esset, Romæ saltem confitendis atque absoluendis libidinosis, sacrilegis, periuris, ac maximè nefarijs (pudet Papam atque Cardinales dicere) sed clericis cunctis præesset. Sanctus nuper, superiori nempe ætate habebatur noster Polus Cardinalis, vir regio prognatus sanguine, quiq; vitâ doctrina ornauit, disciplinaq; satis exquisita atque seueritate coluit, in cuius mores valde dolemus superstitionem Pontificiam incidisse. Nunc cum Mortonus Legati atque confessoris nomen Romæ obtineat, cui venter imperat: quantum existimare debemus ab ea Ecclesiæ inani specie, quam saltem tum Polo Cardinale habuit, tam paucis annis degenerasse Romam. Adeo ne cassum eunt res Romanæ, ipsaq; etiam Monarchia ita sensim perit atque labefactatur, vt huiusmodi non solùm helluones (epularum dico non librorum, sicut Cato Ciceronianus fuit) sed etiam in Reginam patriamq; perduelles, ad auscultandas Romanas confessiones, deinde ad subeundas in Angliam legationes præficeret? Huiusmodi legatus a Græcis principibus Sino ad Troianos missus est, qui ad vrbis incendium equum Troianum mænibus inducendum suasit. Ita etiam Prædones, qui alienas Regiones perlustrant, nec de pactis aut fœderibus consultum, sed speculatum & expilatum veniunt, appellari legati possunt. Huius Legationis fructus vt dicis summus hic fuit, vt tam multi in principem arma caperent patriamq; proditores, quia Iure constitutas scelerum suorum pœnas pertimescebant, desererent, & fuga suspendia vitarent. Ex quorũ aduentu Regni

Polus Cardinalis Legatus.

Cato, lib. 3. de finibus bon. & mal.

Sino Græcorũ ad Troianos Legatus.

Papalis legationis fructus.

Antichristiani redintegrationem speraſtis, ſed conſilia veſtra ab altiſſimo diſſipata ſunt. In eo autẽ Sandere video, ſpem tuam non fuiſſe inanem, quod fore ais vt verbum vitæ in Anglia liberè prædicetur, & ſacramenta Chriſti ritè adminiſtrentur. Id enim diuinum beneficium Anglia nõ per vos, ſed per ſereniſſimam noſtram Reginam, & Epiſcoporum atque Præſulum venerandum cætum conſequuta eſt, vt Euangelij veritas nunquam frequentius populo nuntiata, nec ſacramenta ad Chriſtianæ inſtitutionis normam conuenientius q̃ nunc ſunt, diſtributa fuerunt. Si hæc ſpes tua tum cum ita ſcribebas fuit, verè quidem, ſed tamen præter animi tui ſenſum vaticinatus es. Omnia enim apud nos ſacra magis integra eò conſeruantur, quò a veſtris ſordibus & profanatione ſint remotiora.

Sanderi ſpes de Euangelio in Anglia prædicando rata.

Sanderus Angliã & Germaniam ingratitudinis accuſat indignè, quòd a Papa receſſerint.

19. NVnc igitur cum florentem Eccleſiam ex Euangelij præſcripto, abiecto & profligato Papiſmo domi habeamus: cur ad nos vltro non redis? cur illi peſtiferæ cathedræ diutius adhæres? cur ſaltem Patriæ tu ingratus de Euangelij libertate non gratularis? cur in illa Pontificia ſeruitute & ignorantia verſaris? Sed facis vt nefarij ac ſcelerati homines ſemper ſolent, cum ea vitia quibus ipſi inficiuntur, his maximè aſcribunt, qui ſunt integerrimi. Sic tu cum maximam ingratitudinis notam infamiamq; ſuſtineas, quòd a patriæ charitate, & a coniunctorum neceſſitudine receſſeris: patriam tamen ingratam appellas. Quæ hæc tua

Sanderus in Patriam ingratus.

tanta

tanta est Sandere impudentia, aut quę potius insania, vt debaccharis in patriam? an te vnquam malo vllo, damnoue affecit: an non aluit atque fouit? literis instituit? plurimis meritis sibi deuinxit? an causam vllam maledicendi, aut se deserendi, & ad hostes confugiendi tibi vnquam dedit? Quod si te malè tractasset, aut in exilium eiecisset, nulla tamen te iniuria prouocare debuisset, vt ei tam impudenter conuitiarere. Themistocles a Cicerone grauiter est reprehensus quòd cum ab Athenien sibus iniusto exilio malctaretur, ad Regem Artaxerxen qui Græcorum summus hostis fuisset, sese contulisset, nec patriæ quanquam ingratæ gratiam retulisset. Ea enim patriæ charitas esse debet, vt quamuis iniquissimè ab ea nos lædi existimemus: tamen nec dicto nec facto vindictã vllam sumere, sed in quibuscunq; possumus iuuare eam debeamus. Quòd si ea in quenquam ingrata, aut de teipso Sandere malè merita fuisset, aut vllius præterea vitij infamia laborasset: tu tamen extenuare & abolere infamiam, eiusq; honorẽ sartum tectum (vt aiunt) conseruare, non oratione tua inurere illi maculã debuisses. Accedit verò ad tam insignem impudentiam alius & manifestior impietatis & nequitię tuę cumulus, quòd violare patriam tibi parum visum est, nisi vnà nobilissimam atque maximam Germanorum gentem pari contumelia ream faceres, sic enim ais. *Hoc illud populorum Angliæ Germaniaq;, peccatum est, quod cæteras eorum iniquitates longo interuallo superat, easquè in vnum quasi cumulum collectas numeris omnibus implet & consummat.* Quid tibi cum Germanis rei aut commercij vnquam fuit? si quicquam turpiter vnquam cõmiserunt,

Themistocles.

Patriæ charitas.

Germani etiam Sanderi iudicio ingrati.

runt, cur tamen in aliena Repub. curioſus eſſe vis? Num nam eorũ vitijs corrigendis cenſor aut animaduerſor conſtitutus es? Deinde præter ingratitudinẽ, quænam illæ aliæ ſunt nobis cum Germanis communes iniquitates? Cur tu ingratiſſimus & petulantiſſimus omnium tam inſigni conuitio in occultam turpitudinis ſuſpitionem ſtudes noſtros mores adducere?

Germanorum & Anglorum in Euangelio ſuſcipiendo conſpiratio.

Equidem ſi Papiſmi deſertio, & Euangelij accuratus cultus, ſummumq; ſtudium, iniquitas tibi videtur: appelles noſtram cum Germanis coniunctionem nefariam. Nos enim in eo multum gloriamur, tam præclaram in omni genere virtutis, ac illuſtrem gentem nobiſcum in abolenda omni labe Pontificia conſpirare, atque congruere. Deinde hoc conuitium intemperanter exaggeras, quòd, vt ſtirpem a Germanis ac originem traximus, ſic eius gentis vitia tanquam ex traduce ad nos deriuata hauſimus. Qua orationis amentia atque temeritate non modò Germaniam atque Angliam, ſed ipſam, quam tantopere celebras, Romanam Monarchiam dehoneſtas. Nam ſi Angli Germanorum moribus vitijſq; tot ſæculis, ab ipſa namq; gentis origine inquinati, in ijſdem poſtea perſtiterunt: fruſtra nos Romana Eccleſia, cui in diſciplinam per Auguſtinum atque Bonifacium (vt tu vis) traditi fuimus, in Euangelio tam diu inſtituit, ſi ab huiuſmodi inſitis & innatis vitijs reuocare nunquam potuit: neq; quicquam profecit, ſi huiuſmodi veterum noſtrarum iniquitatũ vt vocas, cumulus tam grandis extet, vt poſt tanti temporis diſciplinam, ad ſummam malitiam acceſſiſſe videamur. Ac verendum ex tua oratione potius eſt, ne ſi tot iniquitatibus nos & Germani

Sanderi conuitia Romam dehoneſtãt.

mani abundemus, vt earum multitudo instar acerui atque cumuli grandis sit, eas a Romana institutione vtrìq; acceperimus, vt in vno ludo & sub eodem impio magistro docti, morum improborum similitudinem tantam imbiberemus. Namquè cum gens nostra Germanorum in Britanniam aduentu conflata primò fuit, non huiusmodi iniquitatum, aut ingratitudinis infamia laborabat, sed tam ingenua, rectaq; fuit, vt Gregorius qui Augustinum in Angliam misit, Anglos angelis similes esse diceret. Tum quàm piè sancteq; omnia cum exteris pacta fœdera semper coluimus, quantum fraudes atque simultates omnes a rebus nostris gerendis seiunximus, historiæ multæ referunt. Ac inter omnes qui vnquam scripserunt, tu primus es qui ingratitudinem Anglis obijceres: reliquas nostras iniquitates non commemoras, nec enim potes, nisi singulorum hominum vitia propria, toti nostræ genti communia affirmares: ita facile tibi foret totam gentem læsæ maiestatis ream facere, quia Sanderus ac sui similes homines flagitiosi ac teterrimi cum hostibus de regni interitu ac ruina consilia capiunt. Sed vt cum iniquitates nostras atque Germanorũ dicis, nullas tamen nominas, in quo summã homo omnium impudentissime iniuriam facis, qui duas clarissimas ac tuas populares gentes nominatim lædas, sic nec causam veram statuis, cur ingrati dicerentur. Quia iniquis Romanæ ecclesiæ affectæ beneficiis, eam matrem non agnoscunt, quia Antichristi sedem eam appellant. De quo sanè non multum disputabo, eamq; rem a Theologo tractari malo: sed tamen hoc mihi videtur, si Christus sit is, quem

Angli ex Germanis oriundi.

Gregorius Anglos Angelis comparabat.

Sanderus primus obijcit ingratitudinẽ Anglis.

Cur Anglos Germanosq; ingratos dicat.

narrat & proponit Euangelium, eum qui Romæ regnet monarcham, necessariò fore Antichristum. De Anglorum autem atque Germanorum ingratitudine quam quærendi causam habeas nescio. De Anglia certè ex annalium scriptoribus qui plerumq; Monachi fuerunt, aut alii satis superstitiosi Romanæ potestatis obseruatores satis constat, eam tot dolis atque fraudibus a Romanis Pontificibus singulis penè sæculis direptam, expilatam, & vexatam fuisse, vt eius intolerandi iugi non ferenda seruitus tandem, non aliqua nostra ingratitudine, sed Romanorum Pontificum summis quibus opprimebamur iniurijs necessariò excuteretur, nisi omnes nostras vires atque facultates Romana ingluuie indies exhauriri permisissemus: vt Roma potius ingrata ipsa fuerit, quæ tam benignam & obsequentem sibi prouinciam tam malè atque immoderatè tractaret: q̃ Anglia, quæ tantas ab ea calamitates tam diu sit perpessa. Ac præter has atroces expilationum iniurias, omitto hic insignes verborum contumelias, quibus a Romanorum Pontificum superba voce sæpe lacessita est. Cuiusmodi sunt hæc. *Angliam asinum optimum Romanum fuisse, nisi quod interdum recalcitrare soleret.* Quæ satis indicant iustissimam fuisse depellendæ tantæ seruitutis Anglis causam, nec ideo ingratos esse censendos, quòd eam immanem potestatem exterminarent, a qua non homines, nec (quod durum fuisset) serui, sed quadrupedes abiectissimi appellabantur.

Roma ipsa in Angliam ingrata.

Mat. Par.

Anglos a Pontifice Romano non esse primùm ad Christianam religionem conuersos.

20. AC ne illud quidem verum est, in quo se tantum effert

effert, atque gloriatur Roma. Ab ea primùm ad Christianam fidem cum Gregorius Augustinum huc ad euangelizandũ mitteret, conuersos fuisse Anglos, cum & Britannicæ Ecclesiæ quæ sub Meneuensi Metropoli fuerunt, acceptam antiquissimis temporibus Christianam fidem retinuerunt, & multi ex Anglis eam ante Augustini aduentum fidem a Britannis & Gallis vicinis gentibus acceperunt, ipsiusq; adeo Ethelberti Cantiorũ Regis, qui Augustini hospes fuit, coniunx Berta nomine, Lotharij Gallorum Regis filia in patris familia antequam nuptam daretur, Christiana religione instituta fuerit, pactumq; sit inter Ethelbertum atque Lotharium, vt ei nuptæ liceret Christianam quam domi didicit religionem semper colere. De quibus alius erit explicandis vberior atque copiosior locus. Nunc tuam siue temeritatẽ, siue audaciam, & impudentiam, cum tanta inscitia & ignorantia rerum domesticarum in quibus peregrinus esse vis, adeo coniunctam taxare atque reprehendere libuit. Et cum tu causas multas narras, quæ te ad scribendum de hac Monarchia impulerint, ego eas complectar paucis. Vt Reginam patriamq; iniquis conuitijs exagitares, vt Monarchæ ac suis satrapis Cardinalibus tam turpi assentatione placeres, vt denique subditos ad seditiones & vim principi armis inferendam concitares. His de causis te a tanta malitia & improbitate nõ potuisti continere, alioquin virus quod tot annis in huius Monarchiæ cõtemplatione suxisti, nisi euomuisses, te tumore ac inflatione rupisset, vt in Papæ pelagus demersus, esca fieres illorum piscium, quos illius rete prædatorium capere, & ad terram

Britanni in Anglia ante Augustini aduentum Christiani.

Berta Ethelberti Cant. Regis vxor Christiana.

Causæ quæ Sanderum ad scribendum impulerunt.

pertrahere solet.

Sanderus dum Anglos ingratitudinis notat, inconstans est sibi.

21. A Papa deinde transis ad Cardinales, quibus ne ingratus videaris, quod summum esse in Anglis vitium dicis, tuam referendæ gratiæ voluntatẽ, & accepti beneficij recordationem declaras: quibus post Papam te plurimum debere fateris. Quo iudicio hi qui patriam fide & obseruantia summa colunt, ingrati dicentur, profugi & proditores grati atque meritorũ memores? Sed excidit ne tibi memoria, Sandere? quàm tortuosum fuit tibi quondã Elenchos sophisticos perdiscenti illud argumẽtum de Cretensi poeta, qui suos populares mendaces appellauit, non esse ideò habendã ei fidem quoniam ipse Cretensis, & suo quasi testimonio mendax fuit. Sic tu cum ingratam Anglorum gentem nuncupes, quoniam Anglus es, ingratus meritò existimari debes, eoq; magis quòd eo conuitio in patriam cui maximum officium referre ac præstare conuenit, summam ingratitudinem declarasti: sed ab hoc aliò transeo. Nec enim tam multus in eo fuissem, nisi tute tuam gratitudinẽ tam sæpe prædicares, ac te laudando de necessariorum qui te norunt silentio, tanquam altera ingratitudine tacitè expostulare videreris. Hoc tantùm fuit dicendum. Illum Cretensem poetam, cuius testimonium ab Apostolo gentium confirmatũ est, in eo quod de Cretensibus carmen condidit, falsum non fuisse: tuæ autem in patriam ingratitudinis non est vberius quàm tui ipsius testimonium, ideoq; cum & alijs omnibus proba-

Sanderus ingratitudinem rursus obijcit Anglis.

Cretensis poeta.

Cretensis poeta verus, Sanderus de patria mendax.

probationibus careat, sua narratione maximè est infirmum. Si enim aut a sereniſſima noſtra Regina, aut a proceribus, aut ab Epiſcopis noſtris, aut numero seu ordine aliquo noſtro iniuriam accepiſſes (quod auſim dicere nunquam tibi contigiſſe) tanta ne atrabili ac furore illico percitus es, vt quemadmodũ Moriones rabioſi ſolent, exclamares omnes te violaſſe, ac totam gentem extare ſiue in teipſum, ſiue in Monarcham tuum ingratam? In quo ſanè tibi parũ oratione Sanderi inconſtas. Namq; cum in ſuperiori ad Papã præfatione totam gentem tam noſtratem q̃ Germanicam inſimules maximè ingratitudinis: tamen hac culpa gentem noſtrã liberas, & omne crimen in paucos confers: ſic enim dicis. *Quid quod eadem ſola Inſula grauiſſimum hæreſeos iugum a paucis & his obſcuris homuncionibus impoſitum, inuita prorſus & coacta ſuſtinet?* Hoc ſi ita Sandere ſit, vbi eſt illa totius noſtræ gentis ingratitudo & defectio. Etſi enim id quod tu hæreſeos iugum falſò appellas, nos iugi Pontificij liberationem & excuſſionem eſſe cognoſcimus, in eoq; iure gloriamur, quòd non ſub iugo Papali, ſed in Chriſti libertate viuamus: (ſummam enim nos libertatem ducimus, deo ſeruire in Chriſti Euangelio) tamen ſi id vitium, ſi hæreſis, ſi vt ſæpe dicis ingratitudo eſſet, tù neq; boni viri, neq; patriam amantis officium facis, quòd coactam a paucis vt appellas homuncionibus, non ſponte acceptam religionem, vniuerſis illius gentis attribuis. Prior Romana Monarchia, ſi Ciuitas aliqua aut prouincia defeciſſet, de authoribus atque ducibus ſeditionis ſumere pœnas, & multitudini parcere conſueuit. Veſtra autem iſta, cuius cruentum oraculum tua improba

inconſtantia.

Non affligendam ob paucos multitudinem.

voce iam æditum & promulgatum est, ob paucorum defectionem affliget sine discrimine cunctos. Ita si Papismus restitueretur, omnes ad flammas & supplicia raperentur, & tota gens tanquam ingrata in Monarcham, atque defectionis rea deleretur, vt Pontificijs terra præda sit. Hæc est vestræ Monarchiæ æquitas, atque sanctitas. Nos sanè de alijs gentibus multò æquius atque humanius quã tu de patria, iudicamus.

De Belgio atq; tota Gallia spes.

Quanquam enim Belgium atque tota Gallia, Pontificia tyrannide oppressa ita teneantur, vt libertatem nisi solius Dei opera sperare vix possint, non tamen vniuersos eodem scelere condemnamus. Scimus enim in illis Regionibus permagnam esse hominum copiam pietate atque religione præstantium, quorum alij fidem suam clarissima morte illustrarunt, alij vincula, contumelias, ac incommoda vitæ varia pertulerunt, alij extorres atque exules ærumnis & inopia premuntur, alij deniq; non malitia & improbitate animi, sed simplicitate in fraudem Pontificiam sunt inducti, qui statim nuntiata & accepta veritate facillimè resipiscẽt. Nonnullæ etiam ibi vrbes atque Regiones a contagione atque lue Pontificia, totæ alienæ atque immunes sint. Itaque paucorum hominũ scelera, qui multitudinem authoritate, siue vi vestræ Monarchiæ opprimunt, tam honoratis clarisq; gentibus vniuersis non imponimus. Sed speramus vt earum Regionum Principes amotis Pontificijs tenebris veritatẽ Euangelij tandẽ intueantur, & in ea libertate, deiecto Monarchæ vestri iugo, populos suos gubernent, qua nos sub illustrissimæ nostra Regina viuimus. Tum quinam illi sunt obscuri homunciones Sandere, quos ais hæ-

Qui obscuri homines Sandero videntur.

reseos

reſcos nobis impoſuiſſe ſeruitutem? Ego enim de quibus ſentias, ne coniectura quidem conſequor. Adeo ne tibi ſeruiles, aut ignobiles videntur Angli, vt cum tanti Monarchæ iugum tolerare noluerint, ceruices iam ſuas obſcuris homuncionibus ſupponent? Equidem ſi tã turpi conuitio Epiſcopos & paſtores noſtros taxas, impudenter erras. Namq; Euangelium quod tu hæreſis iugum ſtatuis, a Regina, proceribus, atque populo in publico Parliamẽti conſilio, cuius eſt apud nos authoritas grauiſſima receptũ, & Papiſmus profligatus prius fuit, q̃ illi ab egeſtate, latebris, & exilio reducti atque reuocati ſacerdotijs præficerentur. Deinde obſcuri homunciones non ſunt, ſed grauiſſimi patres, & inſignes, ac prædari aſſiduiq; Chriſtianę veritatis præcones, qui pro Chriſti gloria capita, ſi opus ita fuerit, libenter Monarchæ veſtro obijcient, quorũ etiam fama non modò in Anglia celebris atque nota eſt, ſed ad exteras quoq; nationes virtute ac doctrina peruaſit. Sin proceres Regni aut Conſiliarios Reginę, aut fori Iudices obſcuros homunciones nuncupes, quid commemorari a me vel quocunq; poteſt hac tua puerili & inepta loquacitate arrogantius? Prętер hos enim nominare nullos potes, qui imperitant ſub Regina populo. Num enim quiſquam qui tui non ſit ſimilis, ſcilicet qui perfricta rigidè fronte pudorem & verecundiam omnem non exuerit, eos obſcuros homunciones diceret, qui nobilitatem a maioribus aut ſua virtute acceperint, aut tam claram & latè patentem gentem conſilio tueantur, aut tam generoſo populo pro tribunali iura reddant? Vides igitur quò proceſſeris impudentiæ, vt pietate atque nobilitate in-

Epiſcopi Angliæ.

Proceres Angliæ.
Conſiliarii.
Iudices.

signes viros obscuros homunciones nuncupes. At
Clari viri Sanderi qui? qui sunt tuo, Sandere, iudicio, illustres & clari viri? Proditores nempe, fures, prædones, rebelles, sacrilegi, homicidæ, atque parricidæ, omnesq; scelerati ac impuri, quales vestra Monarchia multis iam sæculis procreauit, & in iure, vt scis, famosi appellantur. Cuiusmodi famæ atque nominis viris, nostra Respub. si omnes (quod vtinam) exterminati essent Pontificij, prorsus careret. Ita quia pietatem, iustitiam, religionemq; colimus, & eiusmodi quibus vestra Monarchia tota inquinata est scelera detestamur, obscuri & nullius egregiæ famæ a vobis existimamur. In quo sanè etsi neq; Præsules, neq; proceres nostri inani aura popularí ita delectentur, vt vulgi laudes cupiant, quin recta suorum gestorum conscientia contenti atque securi sint, tamen hoc tuum tam audax atque contumeliosum opprobrium illis qui a te, rabide scurra, ne laudari quidem vellent, maiorem apud suos populares honorem & virtutis existimationē conciliauit. Atque proximum quidem in eadem epistola tuum est hoc dictum. *Angliam Martyrum feracem & fœcundam esse.*

Sanderi ὀλιγομαρτυρολογία.

22. IN quo de patria quidem vera, Sandere, prædicas. In ea enim pro vera religione ac fide Christiana, contra vestræ Monarchiæ impietatem ac tyrānidem, singulis fere ætatibus plures q̄ in vlla gente Christiana flammis absumpti sunt. Quorum pene singuli in
Martyres Anglię. crudeli flammarum supplicio nō modò tranquilli, sed ita placidi lætiq; fuerunt, vt non tam ad cineres redigi corpora, quàm ad sydera ferri animas putarentur. Id

quod

quod insigne testatur Martyrij veri testimoniũ Lactãtius, ad Constantinum Augustum in his qui primis Ecclesiæ temporibus sub Romanis Imperatoribus in Christi acie ceciderunt. Sed tu, ea mentis cæcitate ac errore quo in hoc opere singula peruertis, ea quæ verorum Martyrum propria sunt, imperitè ac impiè traducis ad perduelles. Quid enim Martyrium esse statuis? An non hominum sanctorum in causa Christi, suiq; Euangelij constantem & intrepidam mortem? Cuiusmodi tanta nostrorum multitudo in illis quinque Marianis annis a vestris Pontificibus, dum a fide Euangelij ad Pontificios errores nollent recedere, crudeliter atque sæuè mactata est, quanta ne sexcentis antea annis continuis pro capitalibus criminibus legitimas in Anglia pœnas dederunt. Quibus annis celeberrima Angliæ Ciuitas Londinum non aliud fuit quàm Boneri carnificina, & sanctorum corporum strages, ac incendium. Eorum verò quos tu appellas Martyres quæ moriendi causa fuit, deinde quanta paucitas est? An feracitatem & fœcunditatem tantæ gentis, tam paucorum numero, duodecim scilicet aut viginti definis atque circumscribis? Ego in Grammatica institutus id fœcundum esse accepi quod sæpe pariat, ferax, quod multum. Quod tu in tuis dare non potes, nos in nostris cumulatissimè possumus. Quàm ineptus igitur es, ad hanc tuendam Sandere, causam, vt cum magna verborũ magnificentia tuam patriam solam tam frequentes & copiosos Martyrum partus profundere clames, dum veros Martyres prætermittis, ad capitalibus legibus iudicijsq; obnoxios, ridiculè tandem atque turpiter te confers & cõfugis.

Lib 6. diuin. instit.

Martyrium quid?

Mariana tempora.

Londinum Carnificina Boneri.

Sanderi martyrum paucitas & indignitas.

Malitia ne an errore hoc in te facinus admiseris, vt tantam infamiam inureres patriæ, incertum est, vt ab exteris existimari velles, principis & Reipub. iudicatos publicis iustisquè legibus hostes, inter sanctos Christi Martyres recenseri. Quæ enim causa fuit cur Morus, Roffensis, & Carthusiani Monachi qui a te Martyres commemorantur, ab inclyto Rege Henrico octauo, vltimo supplicio affecti sunt? Euãgelij ne, an Papatus? Num nam obijciebat eis rex, quòd in vnum deum, & in tres distinctas diuini numinis personas, quòd in Iheſum Christũ vnicũ & æternũ Dei filium, eumq; Spiritus sancti vi in beatæ Mariæ virginis vtero conceptum, & carne humana præditum, natum, deinde in terris cum hominibus versatũ, demũ sub Pontio Pilato crucis pœnam passum, sepulchro conditũ, ad inferos missum, a mortuis ad viuos reductum, postremò in cœlos ad æternam Dei gloriam elatum & assumptum, indeq; in fine sæculi ad viuos pariter atque mortuos iudicandos rediturum credebant? Aut quòd Euangelistarum & Apostolorum doctrinã in sacris Scripturis expressam amplexabãtur? Nequaquam sanè, verùm in Cleri Synodo sub Warhamo Cantuariensi Archiepisc. qui proximus ante Cranmerum fuit Londini celebrata decretum est, Romanum Pontificem non maiorem authoritatem iure diuino in Anglia exercere posse, q̃ reliquos externos Episcopos: sciebant enim q̃ impius fuit ille vniuersalis Episcopi titulus. Itaq; eius cecta potestate omnes Ecclesiastici ordinis in Anglia viri se Regi subiecerũt, & ad eius patrocinium contra Papam confugerunt.

Morus, Roffẽsis atque Carthusiani martyres non fuerunt.

Morus &c. cur morte affecti.

Ex

Ex quorum decreto & consensu latæ fuerunt in Parliamento postea ipsis Episcopis hoc maximè suadentibus, leges quæ capite sanxierunt si quis postea aut Regis, iure diuino, permissam in rebus Ecclesiasticis authoritatem non agnosceret, aut Papæ vllam in Anglia earum rerum potestatem deferret. In has leges Morus, Roffensis, & Carthusiani tui commiserunt, quarum authoritas nō, vt vos dicitis, vi regia expressa fuit, sed sponte ab Episcopis atque Clero profluxit, deinde a Rege, præsulibus, proceribus, atque plebeis ex nostræ gentis more in Parliamento corroborata, & iustis pœnis sancita est. Itaque in ea causa vltima subibant supplicia, quæ cum Christi causa commune nihil habuit, sed pro adulterina vestra Monarchia improbè susceptа est. Feltonus etiam & Storæus non de fide, sed de proditione coram capitalium criminum Iudicibus postulati & damnati sunt, de quibus cum ad eos peruenerimus suo loco plura. Nunc indicare satis est quàm vitiosum Martyrum delectum fecisti, quid autem delectum dico, vbi nulla copia, vbi tanta paucitas, immo ne numerus quidem, ac ne vnus quidem est. Si ex tot proditoribus læsæ maiestatis reis, patriæ violatoribus, nefarijs & abiectis viris, quot sceleratæ vestræ Monarchiæ studium a Deo atque patria disiunxit, te optimos nominasse dixissem, quos Martyrum nomine dignos existimares, planè protulisses animi mei sententiam, id enim dixisse volui. Quod autem Martyrum delectum te habuisse dixi, ibi vbi nulli sunt Martyres, erraui, ac ne perstem in errore, errorē citò reuoco. Si enim contra hos a te nominatos Martyres, ego nostros inclytos Duces, Barones, nobiles,

Feltonus.
Storæus.

Non proferūtur a nobis alij Martyres q̄ qui pro Euangelio succubuerunt.

nobiles, equites, alioſq; nonnullos, qui regnante Regina Maria iuſtiſſimas legum pœnas ſuſtulerunt opponerem, cauſas quidem multò iuſtiores q̃ tu prętexere potuiſſem. Sed non alios contra te tuoſq; ex noſtris ſtatuo, quàm eos qui nullius capitalis, criminalis, aut ciuilis pœnæ rei, pro ſolius Chriſtianæ fidei Euãgelicis & Apoſtolicis dogmatibus contra execrandos errores Pontificios, flammis adiudicati ſunt. Profer tu ex tuis vel vnum ſi poſſis cui vllus ſcripturarũ ſenſus, ſiue is rectus, ſiue falſus fuerit, in Iudicio capitali cur damnaretur obiectus vnquàm fuit, aut potius in Principes coniuratio, patriæ proditio, Reipub. perturbatio, aut aliquod inſigne ſcelus ac flagitium ſummi ſupplicij eiuſq; iuſtiſſimi cauſam ex publicis legibus, iudicibus non miniſtrauerit. Sed quia Martyres veſtri Legatis, de quibus paulò ante dixi, atque Confeſſoribus veſtris, de quibus deinceps dicturus ſum, valde videntur ſimiles, veſtraq; Monarchia ex iſtiuſmodi adulterinis & impuris membris tota cohæret, nolo in hac quàm reliquis fui partibus eſſe longior, ſed ad alia tranſeo.

**In fide Maiorum neminem baptizandum.**

23. CVm in hac epiſtola multa conſultò prætermittã, tum illud tam nouum viſum eſt, vt id præterire nõ poſſim: quod de ſeueritate Angliæ ita quæri videaris, vt ea in recipiendis tractandiſq; Pontificijs, quos tu Catholicos appellas, multò acrior atque durior q̃ ipſa ſit Germania. *Namq; in Germaniam*, inquis, *ſi cui libet Catholico eſſe impunè licet, in Anglia nemini licet fidem Maiorum, in qua baptizatus eſt profiteri*. Quid nam

Fides maiorũ.

hoc

hoc tibi Sandere, verbum vult, *Fides Maiorum?* Si fidē in Christo sentis, atque Christianus es, cur non eam fidem ingenuè ac disertis verbis professus es? an eius te nominis, quod omni vitio ac errore caret, ita pudet, vt Maiorum vsurpares fidem? Maiores scilicet tui illi fuerunt, qui Tritauum, Tritauiamq; tuam genuerunt, quorum tu tuiq; fratres ac sorores posteri, vt scis, in Iure appellantur, ac inter vos eosq; quinque parentum liberorumq; gradus interiecti sunt. Eorum igitur fidem quoniam sequi atque profiteri vis, explorandum tibi antea omnia diligentissimè fuit, quinam & cuiates illi fuerunt, vbi vixerunt, a quibus baptismū acceperunt, vtrum constantes in fide ad mortem perstiterunt, an Apostatæ recesserunt. Nam si Maiores tui Angli fuerunt, eodem tempore quo illi vixerunt, Anglia Iudæis ita scatebat, vt multi Christiani eorum impulsu & suasu fidem deserebant. Tum paulò post Iohannes Wiclyffus Oxonij permulta saluberrima dogmata contra Pontificiam potestatem ac doctrinā, quam tu tam acriter defendis, proferebat, quæ non modò Anglos sed exteros innumerabiles imbuerūt. Inter quos esse potuerunt Maiores tui, tibi enim non modò in qua fide vixerunt, sed qui atque quales fuerunt, qui vix de Abauo tuo, de Atauo certè eorum quæ ad fidem spectant nihil accepisti, incertum est. Vides igitur cum ex Monarchæ vestri præscripto atque instituto a Christo ad homines, eiusq; fide ad maiorum tuorum fugis, quàm facilis tibi fuit in turpissimum & Christiano maximè indignum errorem lapsus, vt fides in qua te dicis baptizatum, incerta tibi sit Christiana necne fuerit. At te dices non Iureconsultorum

ff. de verb. & rerum significat.

Ignota Sandero maiorum suorum fides.

sultorum, sed Theologorum more loquutum. Qui vt Iudæi patres eos, qui longissimis eos antecedebant temporibus appellabant, sic illi maiores etsi propius abessent nuncupabant. Primùm nemo qui latinè rectè loquutus est aliter maiores atque posteros appellauit, quàm Iurisconsulti definierunt. Deinde quis sani integriq; Theologus vnquam iudicij scripsit, nos in Maiorum fide baptizandos. Maiores nostri Sandere, etsi optimi, infirmæ tamen fragilisq; fidei fuerunt. Quos etsi venerer, atque summopere colam, non eis tamen sed soli Christo meam in Baptismo fidē referendam esse iudico. Itaque si aliquem in Maiorum fide baptizari prohibemus, rectè facimus, qui a tam fluxa, incerta, & caduca, immò nulla fide, ad solidam, perennem, & immortalem fidem in Christo institutos susceptosq; traducimus. A nobisq; atque nostris semper absit in alia fide præterquam in ea quæ ad Christum non homines refertur baptizari atque gloriari.

In maiorum fide non hærendum.

Sanderi mendacium, dum morte luendum esse dicat, si quis cōtra institutam religionem in Anglia senserit.

24. Atq; aliud deinde Sandere conuitium q̄ insigni mendacio sine vlla ratione aut verisimilitudine concludis. *Morte luendum esse, quicquid contra nostra instituta, quisquam scripserit, dixerit, vel etiam senserit.* Grauiter reprehendenda est hæc tuorum verborum Sandere petulantia, quæ nullum maledicendi & conuitia faciendi modum statuere potest. Non ea est nostrarum legum iudiciorumq; atrocitas, vt mortem nisi in grauissimis delictis, talibus scilicet, quæ aut Principi, patriæq; perniciem, aut his quæ sæpius itē-

Mors pro atrocissimis tātum delictis in Anglia proposita.

rentur,

rentur, nec leui castigatione deponũtur, proponent. Ituque in his ipsis pro religione tuenda sanctionibus ex magnitudine frequentiaq; delicti pœnarum gradus constituimus, vt delinquentes primò carceribus, deinde bonis plectantur, ad extremum si sanari non possint sed in extrema contumacia persistant, vltimo supplicio a reliqua Repub. vt corrupta, & vt sana mẽbra, ne corpus contagione inficiant, amputentur. Sensus autem alicuius de religione explorare, a nostris legibus iudicijsq; longè est alienissimum. Id enim quod nobis summo vitio vertis, vestrarum dirarum sanctionum, quæ a Dracone quodam legis latore sanguine non atramẽto scriptę sunt, proprium fuit, vt mulieres, idiotæ, sæpeq; impuberes iureiurando cogerentur de vestris misterijs atque ceremonijs, quæ nulla lege aut ratione comprehẽdi poterant, sensus suos pro tribunalibus explicare, vt si quid errore aut simplicitate præter vestrum sensum protulissent, conuitijs agitarentur, ad carceres ducerentur, pecunia mulctarẽtur, sæpeq; hæretici damnarentur, & in ignem ponerentur. Hæc fuit vestri, non dicam fori, sed carnificinæ immanitas, quam in nostra iura admitti, æquitas & humanitas nostra non patitur. Etsi tibi quicquid in buccam venerit efferre contra patriam impudẽter libeat. Nam nec quenquam eorum qui contra nostræ Ecclesiæ instituta multa assidue dixerunt atque scripserunt, ideo morte affectum nominare potes. Ipseq; adeo Bonerus Christianorum crudelissimus mastix, qui Martyrum clade tam cruentam reddidit preclarissimã Londinensem Ciuitatem, Episcopatu tantum abdicatus, in carceribus satis liberè, immo in epulis atque

Reorum facta, non cogitationes explorãtur in Anglia.

Pontificii soli in sensus intimos inquirũt.

Reginæ in Pontificios contumaces lenitas.

Boneri Lautities dum vixit in carceribus.

victu copioſè atque lautè reliquam vitã peregit. Nec quiſquam veſtrum ſi a coniurationibus,& proditionibus, ac huiuſmodi ſceleribus (quod eſt ſanè difficile) ſe temperare ac continere poſſunt, a clementiſſima noſtra Regina durius quàm in carceribus, vt a populo ſegregentur, tractantur. Itaque malè ac ſceleratè Sandere facis, nec tam in nos,quàm in teipſum inuris contumelias, qui mendaciorum conuitijs tam egregium opus Monarchæ dedicatum accumulas.

Hoſius Cardinalis Sanderi Deus, cui quicquid eſt aſcribit.

25. ILla verò trium Cardinalium, quaſi ſcenam aliquã hiſtrio in theatro ageres, appellatio, q̃ ridicula eſt, quàm inepta, quamq; abiecti cuiuſdam hominiſq; nihili ſapit nimiam aſſentationẽ? His triumuiris proximè poſt Monarcham debebantur huius operis primitiæ, Moronus hoſpes ac patronus Romæ tuus. Hoſius verò Deus, ſic enim ſcribis. *Cui, quicquid habeo, quicquid ſum, ſemper aſcribendum eſſe.* Quàm inſignis eſt iſta adulandi intemperantia, quæ hominibus id concedat, quod ſolus Deus ſibi vendicat.

*Per quem viuimus, monemur, & ſumus.*

Sanderus ſuo iudicio exiuit Angliam vir nihili.

Nihil ne fuiſti igitur antequam Hoſij liberalitate ſubleuatus, eiuſq; præceptis ad virtutem & ſcientiam informatus, vt dicis, eſſes? Te igitur nihili Deus creauit, Anglia genuit, fouit, atque aluit, ac fruſtra Wintonia, Oxoniũq; inſtituit, qui quicquid habes, quicquid es, ſoli Hoſio acceptum ferri vis. Hæ ac huiuſmodi a te emiſſæ voces, indicant diuini humaniq; Iuris contemptum,

temptum, illius Monarchiæ admiratione atque ſtudio vobis eueniſſe. Commendonus item author ac ſuaſor tibi fuit ſuſcipiendi tanti operis. His tribus te tuaq; omnia ſubijcis, ab his opem contra patriam ſperas, ac de eorum laudibus, vt de patriæ conuitijs nihil niſi mentiendo dicis. Nihil ergo Pape reliquum.

Sanderi iactantia, atque laus operis proprij.

AC poſtquam Monarchã cum illis triumuiris collegis tuo more affatus eſſes, tandem de tuo in hoc opere inſtituto ac propoſito magnificè ſatis ac prolixè lectorem admones. Doces cur poſt Roffenſem, Polum, Caietanum, Hoſium, Eckium, Pighium, Contarenum, Rufum, Campegium, atque alios qui de illius Monarchæ imperio ſcripſerunt, tu hoc operis aggreſſus ſis. Primùm te dicis vnius paſtoris in toto orbe Chriſtiano præfecturam plenius quàm illos cõfirmaſſe, tum populorem, & optimatum adminiſtrationem ab Eccleſia prorſus ſeiunxiſſe, deinde vnius paſtoris primatum, non vt illi a ſolo Chriſto, ſed ab ipſo Adamo deduxiſſe, poſtea a Chriſto ad Pij quinti Pontificis annum ſextum, penè ſingulos enumeraſſe ordine Pontifices Romanos, & ex Patrũ teſtimonijs, rerumq; in Eccleſia geſtarum certiſſimis authoritatibus, vniuſcuiuſq; Primatum oſtendiſſe, præterea obſcura dilucidè, ambigua diſtinctè, inuoluta explicatè propoſuiſſe. Ad hæc hæreticorum omnium nomina & opiniones, ijſdem quibus vixerunt temporibus deſignaſſe, atque vtiliori quàm vnquam antea methodo refelliſſe. Ex his inſuper duabus Patrum ſcilicet & Hæreticorum ſucceſſionibus, duas ciuitates ſibi ſem- 26.

per aduersarias, Dei scilicet & diaboli, ante Lectoris oculos proposuisse.

Sanderi ordo in septimo libro totus confusus.

27. CVm hæc te præstitisse Sandere proponas, parum vides quàm ridicula videatur omnibus hęc insolens & glorioſa ostentatio tui, quàmq; ineptè perfecisti id in quo tam elatè iactitas. Namq; in toto opere tam prolixo totus es alienus, nec de tuo quicquam adducis, deinde ea ipsa quæ ab alijs accepisti, dum arrogantia tuiq; confidentia ductus corrigere & emendare voluisti, effecisti multò deteriora. Num nam ad hanc Monarchiam tuendã atque defendendam Roffensis neruos, Poli facundiam, Eckij, Pighijq; vehementiam, reliquorumue huius etsi impię causæ veterum doctorum patronorum, facultatem attulisti? Nequaq̃, sed eadem quę ab illis acutè, grauiter, distinctè, enucleatè, & disertè dicta sunt, à te insulsè, contumelioſè, perturbatè, obscurè, & ineptè in aceruum atque cumulum Abyſſo atque Chao simillimum conferũtur. Hoc illud est, quod te præ cæteris præcipuè obseruasse scribis. Aliorũ scilicet scripta cum tuis mendacijs cõuitijsq; coniungens causam quæ magno patrocinio eguit, noua temeritate ac insania deprauasti atque peruertisti. Tũ quem risum omnibus moueat, illa tua, quam caput omnium appellas in septimo tuo libro, descripta Dei atque Diaboli aduersarum ab origine mundi Ciuitatum tabella? In qua tu tamen fortasse putas te, ipsum S. Augustinum vincere, ex eaq; vberrimum legentibus polliceris fructum. Itaque ad legendum inuitatus, cum septimũ tuum librum percurrissem,

Quantùm his quos numerat inferior sit Sãderus.

Sanderi tabella.

curriſſem, animaduerti te non ſecus nobiſcum agere, q̃ Medici atque Pharmacopolæ cũ his quos vellent interimere, dum eorum tituli medicamenta profitentur, atque Pixides venena continent : ſic tu Satanæ regnum ſub diuinæ Eccleſiæ forma occultum nobis exhibes. Nam in ea tabella tres ordines facis lineis ſeparatos. Primum ordinem Ciuitatem Dei, ſeu continuatam Eccleſiæ ſucceſſionẽ nuncupas. Secundum Ciuitatem Diaboli, ſeu ſchiſmaticos & Apoſtatas, qui ſucceſſionem continuatam non habent, appellas. Tertium verò doctoribus catholicis vtpote murorum Romanæ Eccleſiæ defenſoribus attribuis. In cuius tam ſtupendæ tabellæ artificio, præterq̃ quod in medio ordine in quo diaboli ponis Ciuitatem, nonnunquam immo ſæpe permultos veros Chriſtianos, quòd Monarchiam tuam oppugnauerint, collocas, de duobus nequeo ſatis admirari.

Sanderus ſolus Pontifices atque Cæſares in Ciuitate Dei collocat. 28

PRimum quòd in Ciuitate dei Romanos Cæſares, & impuriſſimos Tyrannos cum Domino noſtro Iheſu Chriſto, ſuiſq; vt tu vis ſucceſſoribus Romanis ſcilicet Pontificibus coniungis. Ita ſcilicet Iulius, Octauius, Tiberius, omnibuſq; ſceleribus inquinatiſſimus Caligula in Ciuitate Dei cum Chriſto connumerantur, cum Petro verò idem Caligula, ſtupidus & libidinoſus Claudius, ac teterrimum humani generis monſtrum Nero, qui non modò ſummo ſupplicio & cruciatu Petrum ſuſtulit, ſed & matre crudeliter interempta, vterum eius vt locum e quo vagiens exiit,

per aduersarias, Dei scilicet & diaboli, ante Lectoris oculos proposuisse.

Sanderi ordo in septimo libro totus confusus.

27. CVm hæc te præstitisse Sandere proponas, parum vides quàm ridicula videatur omnibus hęc insolens & glorioſa ostentatio tui, quàmq; ineptè perfeciſti id in quo tam elatè iactitas. Namq; in toto opere tam prolixo totus es alienus, nec de tuo quicquam adducis, deinde ea ipsa quæ ab alijs accepisti, dum arrogantia tuiq; confidentia ductus corrigere & emendare voluisti, effeciſti multò deteriora. Num nam ad hanc Monarchiam tuendã atque defendendam Roffensis neruos, Poli facundiam, Eckij, Pighijq; vehementiam, reliquorumue huius etsi impię causæ veterum doctorum patronorum, facultatem attulisti? Nequaq̃, sed eadem quę ab illis acutè, grauiter, distinctè, enucleatè, & diserte dicta sunt, a te insulsè, contumelioſè, perturbatè, obscurè, & ineptè in aceruum atque cumulum Abyſſo atque Chao simillimum conferũtur. Hoc illud est, quod te præ cæteris præcipuè obseruasse scribis. Aliorũ scilicet scripta cum tuis mendacijs cõuitijsq; coniungens causam quæ magno patrocinio eguit, noua temeritate ac insania deprauasti atque peruertisti. Tũ quem risum omnibus moueat, illa tua, quam caput omnium appellas in septimo tuo libro, descripta Dei atque Diaboli aduersarum ab origine mundi Ciuitatum tabella? In qua tu tamen fortasse putas te, ipsum S. Augustinum vincere, ex eaq; vberrimum legentibus polliceris fructum. Itaque ad legendum inuitatus, cum septimũ tuum librum percurrissem,

Quantùm his quos numerat inferior sit Sãderus.

Sanderi tabella.

curriſſem, animaduerti te non ſecus nobiſcum agere, q̃ Medici atque Pharmacopolæ cũ his quos vellent interimere, dum eorum tituli medicamenta profitentur, atque Pixides venena continent : ſic tu Satanæ regnum ſub diuinæ Eccleſiæ forma occultum nobis exhibes. Nam in ea tabella tres ordines facis lineis ſeparatos. Primum ordinem Ciuitatem Dei, ſeu continuatam Eccleſiæ ſucceſſionẽ nuncupas. Secundum Ciuitatem Diaboli, ſeu ſchiſmaticos & Apoſtatas, qui ſucceſſionem continuatam non habent, appellas. Tertium verò doctoribus catholicis vtpote murorum Romanæ Eccleſiæ defenſoribus attribuis. In cuius tam ſtupendæ tabellæ artificio, præterq̃ quod in medio ordine in quo diaboli ponis Ciuitatem, nonnunquam immo ſæpe permultos veros Chriſtianos, quòd Monarchiam tuam oppugnauerint, collocas, de duobus nequeo ſatis admirari.

Sanderus ſolus Pontifices atque Cæſares in Ciuitate Dei collocat.

28

PRimum quòd in Ciuitate dei Romanos Cæſares, & impuriſſimos Tyrannos cum Domino noſtro Iheſu Chriſto, ſuiſq; vt tu vis ſucceſſoribus Romanis ſcilicet Pontificibus coniungis. Ita ſcilicet Iulius, Octauius, Tiberius, omnibuſq; ſceleribus inquinatiſſimus Caligula in Ciuitate Dei cum Chriſto connumerantur, cum Petro verò idem Caligula, ſtupidus & libidinoſus Claudius, ac teterrimum humani generis monſtrum Nero, qui non modò ſummo ſupplicio & cruciatu Petrum ſuſtulit, ſed & matre crudeliter interempta, vterum eius vt locum e quo vagiens exiit,

impudicis & flagitioſiſſimis oculis perluſtraret. Atque hæc omnia monſtra in illa tua continuata Eccleſia, cum Romanis Epiſcopis eadem ſerie concurrunt, nō modò Chriſtiani nominis ac diuinæ Religionis, ſed omnis pudoris atque honeſtatis hoſtes. Sed nec vllos deſignas in Ciuitate Dei alios quàm cum Romanis Pontificibus Imperatores, quaſi hæc tua diuina Ciuitas ex continua Pontificum atque Imperatorum ſucceſſione conſtaret.

Sanderus Catholicos doctores Ciuitate Dei excludit.

29. ALterum illud eſt in quo non tam nos, quàm ſacroſanctorum veſtrorum murorū, quos Catholicos appellas, defenſores, iraſci tibi ac ſuccenſere iure poſſint. Quod ne eos quidem Monarchiæ tuæ Ciuibus aggregandos eſſe cenſeas, ſed quaſi murorū excubias extra portas agerent, neq; cum diuinæ, nequè diabolicæ Ciuitatis incolis ponis, ſed in tertio quodam gradu tanquam veſtro purgatorio expiandos, mæniaq; veſtra tuenda, hoſteſq; veſtros arcendos & repellendos in externa acie atque dimicatione, incluſis interim intra Ciuitatis ſepta ducibus locas. Ita Tiberij, Caligulæ, Nerones, Commodi, Heliogabali, Dioclesiani, cæteriq; tyranni libidinum ſcilicet ſcelerumq; omnium ſerui, & carnifices Chriſtianorum, quia continui Imperij ſucceſſores fuerunt, iſtius Ciuitatis erunt indigenæ, cum interim Roffenſes, Poli, Eckij, Pighij, Contareni, & huiuſmodi illuſtres Athletæ quia Monarchæ ad Papatus culmen non peruenerunt, neutra vrbe recipientur, nec deum aut diabolum vnquam videbunt, ſed inter vtramq; Ciuitatem collocati

collocati castra tuebuntur. Quod si ita sit, quid de Sandero, Mortono, Butlero, cæteriſq; eiuſmodi profugis atque proditoribus fiet? Namq; illi ſummi viri quos vos Ciuitate excluditis, vos etiam externis illis ſuis caſtris prohibebunt, nec locum hac affecti contumelia vobis cum gregarijs militibus dabunt, ſed ad onera ferenda, operaſq; aſininas detrudent, ſummũq; erit præmium ſi vos cum caſtra mouent, ad impedimenta militaria tranſferenda Calones ſaltem conſtituent. Hic nimirum ille tuus ordo eſt quem pulcherrimum, & rebus ipſis a te explicatis præferendum eſſe dicis, in hoc tibi arrides atque places, tui admiratione inſiſtis, & amicorum applauſus inaniter expectas. In quo præterq̃ quod adulterinis atque falſis notis Eccleſiam Dei, a Diaboli Ciuitate ſæpiſſimè diſtinguis, nihil in ſe habet ordini ſimile, nihil diſpoſiti atque diſtincti, nihil clari atque dilucidi, ſed inepta quadam confuſione atque multitudine perobſcura atque perturbata omnia. Quare noli tibi in hac operis tui opinione, indulgere Sandere nimium, in quo ſi aliquid eximium tantaue quanta tu videri velis laude dignum fuiſſet, tu tamen laudes proprias reticuiſſes, eaſq; ab alijs prædicari ſiuiſſes. Nunc enim ex laude tam auidè ſine cauſa affectata, magnam ambitioſi & inanis viri infamiam iure ſuſtines.

Sanderus ſuo iuditio eſt extra Dei Ciuitatem.

Sanderi tabella confuſa & indiſtincta.

**Sanderus vidiſſe ſe ait Ciuitatem Dei in Angelis & Hominibus inchoatam.**

QVale deinde illud eſt quod huius tabella prædicationem ſequitur. *Principio, Dei Rempub. prius & in Angelis, & in hominibus inchoatam vidiſſe te ais,* 30.

*quàm diabolus vllam in vtrouis genere partem sibi suffuratus esset.* Diabolum eiusq; socios a Dei Ciuibus defeciſſe, ac idcirco poſteriores fuiſſe. Itaque ex Tertulliano id eſſe dominicum & verum quod prius traditum eſt, id autem extraneum, quod ſit poſterius immiſſum.

Quàm infirmum ſit hoc Sanderi argumentum, Romæ fidem Chriſtianam ſemper vigere, quia eorum fides teſte Paulo annunciabatur per totum orbem.

31. CVm igitur Romanorum fides ab initio vera fuit, & teſte D. Paulo per totum orbem nuntiata, ea ſemper eſt vera, & quicquid ei repugnat hereſis reputabitur. Huius argumẽti vis, Sandere perexigua ſanè, immo nulla eſt, fabrica autem eius atque connexio, tuiq; in eo cõponendo ingenij ſubtilitas valde redolet, operis tui a nemine præterq; a te ipſo impudenter ſupra laudatum ordinem. Ac vtinam ſubornaſſes tibi, vt inepti Poetæ in theatris ac ſcenis quondã ſolebant aliquos qui tibi ita ratiocinanti, & tabellã illam tuam eo ordine diſponenti plauſus ſuſtuliſſent, mihi enim in vtroq; magnus riſus concitatur. Quid? vidiſti inchoatam Dei Rempub. in Angelis ac hominibus in principio? fuiſti igitur in principio cum illa Dei Ciuitas incepta fuit, ac cum Satana eiusq; Antichriſto tuo Monarcha ex ea ciuitate in Gehennam cecidiſti. At me verbis nimium ludere, aliudq; te ſenſiſſe dices. Sit ita ſanè, nam notare tamen volui q; inſolentes rebus diuinis ſæpe voces locutioneſq; adhibes. De argumento autem quo artificio cohæreat, nequeo ſatis admirari. Niſi hoc velis quòd quæ prima fuit Dei Ciuitas

nitas eam postea nunq̃ defecturam. At Romanorum fides annunciabatur per totum orbem, ea itaque prima Christiana ciuitas est, nec vnq̃ a fide postea potest aberrare. Hæc argumenti si sit forma, neq; enim elici alia, ac ne vix quidem adeo bona, ex viginti fere lineis tuis potest, laudabo sanè industriam tuam, qui diu multumq; laborasti, vt Eckios, Pighios, ac eiusmodi strenuos viros in huius Monarchiæ defensione superares, sed omne tuum studiũ inutile prorsus stultumq; fuit, dum acumine hebes, & ordine confusus nulli acriore iudicio prædito reipsa satisfacis. Quid enim si Dei Ciuitas atque Respub. vt appellas prima fuit, est ne illa, aut fuit Romæ posita? an Romana Ecclesia ex Angelis hominibusq; constat? Tum annuntiabatur Romanorum in toto orbe fides, quid hoc aliud est, q̃ si Apostolus dixisset, vbiq; gentium fuisse peruulgatum, Romanos amplexos esse Christianam fidem, id quod ob Imperij magnitudinẽ, cuius vester Monarcha iam existit ineptus imitator atque simia, non modò percrebuit, sed magno gaudio Christianos omnes affecit. Et tamen non adeo firma fuit Romanorum tunc stabilisq; fides, quin eodem loco mox subiungat D. Paulus magno se eos inuisendi teneri desiderio, vt ad eos in fide confirmandos impartiatur donum aliquod spirituale. Quare non eò spectabant verba Pauli, vt Romanorum fidem omnibus gentibus tanquam Ideam, quæ tunc ipsius testimonio tam infirma fuisset propõneret, sed vt gratificaretur gentibus in ipsum Imperij caput peruasisse fidem, a quo spes erat vt ad omnes tandem nationes imperiali authoritate, quod postea sub Constantino Cæsare euenit,

Ecclesia Dei non est affixa loco.

Romanorum fides a Paulo celebrata non semper duraruit.

nit, dimnaret. Nam si id argumenti valeret, adhuc extare Romæ veram fidem, quia tum per totum orbem eius fides percrebuit, perinde possim ratiocinando concludere. Antiochiæ adhuc esse ciues Christianos, quia ibi primùm dicti sunt Christiani, aut Hierosolymis esse Ecclesiam Christi atque Spiritum sanctum, quia ibi Ecclesia primò instituta, spirituſq; sanctus se Apostolis immisit. Sed cum spiritus imo pectore altaq; mente insideat, nec mænibus aut portis Ciuitatis incluſus septuſq; teneatur, non est profectò, non est cuiuſq; aut Sandere tuum, vel Monarchiam atque Principatum, vel ipsam Ecclesiam sic alicui loco alligare aut astringere, vt ibi eam perpetuò durare necesse sit. Narrat Eusebius, Deum vt de Iherosolymitanis vindictam sumeret, ante vrbis sub Vespasiano Cæsare excidium, Ecclesiam quæ ibi erat Pellam obscuram ciuitatulam traduxisse. Quod ergo ibi factum est, Romæ non potuit euenire? Cuius sceleră & impietates diuinum numen ita infestarunt, vt si Iherosolymitanæ Ciuitati tanquam genuino oliuæ ramo non pepercit, Romæ insito & innato aliunde surculo ob tam nefanda flagitia exuendæ omni Ecclesiæ honore parcere quî credemus? proinde sic loco alligare honorem primatus, vt qui re vera infestissimus sit hostis Christi, summus Euangelij aduersarius, maximus Ecclesiæ vastator atque dissipator, crudelissimuſq; sanctorum omnium mactator & carnifex, vicarius nihilominus Christi, Petri successor, primus ac vniuersalis Ecclesiæ Antistes, ipseq; adeo Monarcha dicatur tantummodo quia eam sedē occupat, cuius quondam fides tam peruulgata notaq; fuit, nimis profecto ridiculum

Antiochia.

Hierosolimæ.

Lib. 5. cap. 5.

ridiculum ac ineptum existimetur.

**Non fuisse semper in vno loco continuam Ecclesiam, nec in ea perpetuum externum sacrificium.**

IAm sequuntur in hac epistola reliqua huiusmodi tuis ineptijs, & delirijs plena. Qualia sunt hæc. Ciuitatem Diaboli sæpe interruptam, nec continuam successionem, aliquando etiam nullam habuisse, Dei autem Ecclesiam nunq̃ intermissam, aut in decursu amputatam fuisse, sed semper aliquam extitisse. Quod quidem, si Ecclesiam certo loco, hominibusq; affigas, (de quo tantum contenditis) verum non est. Nomina enim mihi si possis eum in toto orbe terrarũ locum, qui a primordio mundi vnam diuinæ Ecclesiæ externam formam, speciemq; retinuit. Quæ in Iudæa Achab Regis temporibus tã obscura fuit, vt ipsi Eliæ Prophetæ incognita & extincta prorsus deletaq; putaretur. Sin eam quæ Dei spiritu ad finem vsq; sæculi producta sit, intelligas, assentior. Ea enim contra omnes Satanæ impetus, vestræq; Monarchiæ rabiem ac furorem æterna durabit. Iam vt de Romana tua Ecclesia id quod res est ingenuè dicamus. Quoties ibi abrupta & præcisa Episcoporum successio? quot exorti Antipapæ? quæ ac quàm atroces pro Monarchia digladiationes? in quàm varia loca exactæ inde Pontificum sessiones? vt si locum ipsum spectes perpetua & cohærenti serie Episcoporum successionem ducere non potes. Sin abruptam Romæ & dissipatam siue hostilibus inuasionibus, siue intestino schismate Ecclesiam, rursus tamen coaluisse dicas, quid habet in tua Ecclesia Roma, præ multis alijs Ecclesijs singulare?

Continua est in hoc mundo Diaboli ciuitas.

3. Reg. 19. Achab Rex alias Prophetæ.

Romana Ecclesia non vno semper loco durauit.

lare? Quòd autem diaboli ciuitatem non esse putas continuam, quia nascentes atque pullulantes in ea hæreses non sunt perpetuæ, sed certis annorum curriculis temporumq; spatijs terminantur, non magis acumen & perspicaciam tuam probo, quàm in tabellæ, in quo tam turbatus & incócinnus es, ordine. Namq; hæreses singulæ a diabolo non ad suam Ciuitatem quę latissimè per totum orbem patet, viget, atque floret, sed ad Dei Ciuitatem perturbandam excitantur, quę etsi spirante Christo a pijs viris profligentur, non idcirco tamen Satanæ ciuitas depopulata ac direpta cõcidit, quia infinitis illa sceleribus cõiuncta sine vlla intercapedine tam diu durat, quamdiu huius mundi princeps regnat. Quot nam in orbe terrarum gentes humanæ fuerunt, quæ Euangelium, Christiq; fidem nunquam admiserunt? Tum ex his qui Christum ore profitentur, ab eoq; omni vitę actione ac instituto abhorrent, qualis est vestra Monarchia, q̃ infinita multitudo censetur? qui reponi omnes nisi in diaboli ciuitate non possunt. De quibus adeo securus est diabolus, vt ad eos decipiendos opinionum sectarumq; fluctibus acvarietate non indigeat. Ex quibus etiam conflant mundanis rebus copiosissimam atque abundantissimam ciuitatem, vt si mundum intueatur quis, Dei ciuitas prę illa sperni atque contemni possit. Eaq; fixa permanet, cum tamen Dei Ciuitas sæpissimè oppugnata infinitas clades atque calamitates locorũq; mutationes tanq̃ in hoc sæculo peregrina sentiat. Itaque te valdè in his argumẽtis fefellit acumen, amorq; tui Sandere, vt ea pro veris sumeres, quæ sunt a veritate longissimè aliena. Atquę his paradoxis & quasi

Diaboli ciuitas in hoc mundo magis est tranquilla quàm Dei.

portentis

portentis addis nunq̃ in Ecclesia Dei defuisse, qui externũ Deo sacrificium palam offerrent, & cõtrouersias in populo ortas dijudicarent. Atque Romanam Ecclesiam idcirco veram esse quoniam penes eam suprema lex, & iudicandi potestas sit, corporisq; Christi sacrificium quotidie offerat. Paucis sanè verbis multa atque magna peccata. Hoc enim abs te percunctor primum. Iacobo Patriarcha eiusq; filijs in Ægypto vita functis, cum exortus esset alius Pharao cui Ioseph nomen esset incognitum: populusq; Israeliticus instar arenarum, syderumq; cœlestium auctus, tam duram ab Ægyptijs trecentis amplius annis seruitutem passus est, qui tam longo illo calamitatis tempore, iudicijs sacrificijsq; apud eos præfuerunt? Itaque aut nulla Dei Ciuitas in terris toto illo tempore visa est, (quod tu nullo modò concedendum putas, immo ne minimo momento atque spatio discindi aut abrumpi eius externam formam finis) aut externis sacrificijs iudicijsq; caruit. Nunc te multùm sandere vereor, ne scripturis victus ad Monarcham cõfugias, ab eoq; petas, vt edicto aliquo minatorio omnes iubeat credere id quod in scripturis nusquam reperitur: fuisse scilicet apud hunc tam multis annis afflictũ seruitute Ægyptiaca populum ministros, qui tam iudicia exercerent, quàm sacrificia tractarent. Sed res ipsa reclamat. Externa enim publicaq; sacrificia Deo in Ægypto exhibere vsque adeo vetitum erat, vt Moses atque Aaron a Deo missi summa contentione cũ Pharaone egerunt, vt populus sacrificatum regno Ægypti exiret atque secederet. Deinde constituta iam in monte Sinai Repub. & Ecclesia, iudicandi atque sacrificandi

Externum sacrificiũ non semper in ecclesia viguit.

Nequé sacrificia, nec iudicia apud Israelitas seruitute pressos fuerunt.

munera ita distincta & separata fuerunt, vt illud Moses, hoc Aaron capesceret, nec alter in alterius magistratu sese interponeret. Quæ munera etsi Iudicum temporibus interdum in vnam Pontificis personam coierint, sæpius tamen ab his iudicandi potestas, vt in Samsone, Gedeone, ipsaq; Debora, aliisq; nonnullis legimus, disiuncta atque translata fuit. Vt ad Ciuitatem Dei Ecclesiamq; declarandam necesse non sit, sacrificandi atque iudicandi summam authoritatem tanq̃ in vestrum Monarcham conuenire. Nam quod ad quotidianam illam corporis Domini immolationẽ atque victimam spectat, quę semel ab ipso domino pro omnium salute peracta est, eam, vt vos facitis nõ modò singulis diebus, sed innumeris locis ac momẽtis, repetendam & iterandam esse negamus. Qua de re Theologi cuiusdam nostratis qui singula quæ in hoc opere tam perperam posuisti conuellet, sententiam expectabis. Nunc si in arguendis & reprehendendis singulis in his tuis epistolis ineptijs insisterem, nullũ modum scribendi statuerem. Illud igitur vnum attingam, quod vnum certum ducem, summumq; pastorem Ecclesiæ Dei præfuisse semper scribas. Adamum primum nostrum parentem recenses, post eum Seth, Noe, Melchisedech, Abrahamum, Isaacum, Iacobũ, Aaronem. Quos in sacris causis moderandis illis quibus vixerunt æuis in summo gradu singulos præfuisse dicis. Non ego hîc abs te quæram vnum Adamus ijs sacrificijs, quę a Caino & Abelo sdijs suis immolabantur tanquam summus Pontifex præsidebat. Sed neq; de Abrahami, Isaaci, ac Iacobi sacerdotio, an aliquod vnquam administrauerint, interrogabo.

Immolatio quotidiana Dominici corporis.

Non vnus sũmus pastor toti semper Ecclesiæ præfuit.

Missa

Missa etiam faciam ea quæ ad rem tuam parum faciunt de Ægyptiorum Dynastis atque præsidibus. Id tantùm dicam quod præter omnium sensum, tu vir tam acutus & subtilis, vno eodemq; tempore, duos nobis in sacris constituis summos Pontifices atque Sacerdotes, Abrahamũ scilicet atque Melchisedech. Nam & vna ætate vixerunt, & præfuisse illos sacris dicis in summo gradu singulos, qua ratione necesse est ambos summos tum fuisse Sacerdotes. Quo quid comminisci potest scripturis magis repugnans atque contrariũ, cum & Melchisedech Sacerdos Dei magni Abrahamo benedixerat, & Abrahamus ei ex omnibus decimas obtulerat. Ex quo perspicuum est Abrahamum nullum Sacerdotij honorem arrogasse sibi, sed eum totũ Melchisedech detulisse. Quare noli tibi in his rebus a te, vt venditas, tam admirabili ingenio excogitatis atque dispositis placere nimium. Quæ enim inuenisse te atque excogitasse dicis, perq; ridicula sunt, quæ disposuisse atque collocasse, confusa. Nam postq; huius Monarchiæ. i. Romanæ tyrannidis causam suscepisti, tam cæco eius illustrandæ studio cuectus es, vt ne res ipsas quas te tanto orationis nitore patefeciſſe nobis prædicas, exploratas ipse habeas. Tum omnia quæ vel pro Monarchia, vel contra patriam quocunq; modo tibi facere videntur, ita sine discrimine ac delectu congeris, vt arrepta tibi potius quàm oblata scribendi materia videatur. Media primis, extrema reliquis non cohærent, ad eadem sæpe redis ac reuoluis, & cum ab vna re ad aliam transis, illæ non modò inter se cognatæ & affines non sunt, sed tam longè lateq; disiunctæ atque separatæ, vt cum

Sanderus duos summos sacerdotes simul statuit.

Sanderi in scribendo cõfusio.

aptè ſcribentium oratio tranſitionibus connectatur, tua oratio non alia quàm ſententiarum incompoſitarum vaſtitas & hiulcus videatur. Ita dum a veritate Euangelij, & charitate patriæ inanis gloriolæ cauſa, vt vir magnus in illa Monarchia videreris abductus ſis, ſenſus tuos ſtupiditas, ſcribendi facultatem amentia, prudentiam audacia malitiaq; ſuperauit. Nunc ab hac tua philautia ad eas ſeptimi tui libri, ſeu cõfuſę tabellæ partes, in quibus principem patriamq; conuitijs turpiter proſcindis, accedo.

# De
# VISIBILI
# ROM'ANARCHIA

## *Contra Nich. Sanderi*
## *Monarchiam προλεγομένων*
## *Liber secundus.*

PSALM. 14.

*Os eorum execratione & amarulentia plenum est: Pedes illorum veloces ad effundendum sanguinem.*

*Contritio & calamitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt: non est timor Dei coram oculis eorum.*

Eptimus tuus Sandere liber, cuius ordo atque disposítio tibi operis tui cæco quodam & deliro amore capto tantopere arridet, vt in eius laudem impudentissimis ac stolidissimis verbis erumperes, nihil aliud est vt antea diximus, quàm Pontificum, Cæsarumq; coniuncta & ad nostra tempora deducta series, tum eorum dogmatum quæ tua imperitissima censura probas atque improbas, neq; locis, neq; temporibus oportunis, neq; ordine vllo distincta & dispensata Rapsodia. Ita fit vt cum neq; reipsa, nec apta & concinna distributione, alteri cuicunq; præterq; tibi ipse satisfacias, ac inani cogitatione admirationeq; operis tam rudis & incompositi materiam ordinemq; stupes, ingenium tuum elatum atque stultum omnibus deridendum proponas. Quis enim magis risu & contemptu dignus est, quàm is qui rerum ab alijs sumptarum malè digestum & collocatum aceruum tanquam suam luculenter ac dispositè explicatam suppellectilem, vt hi qui venales prætereuntibus extrudunt merces, venditet, & exornet? Cum & ipsa ostentatio furtum, & confusio insciti am imperitiamq; prodat. Huius tuæ rapinæ atque amentiæ exempla potuissem ex singulis penè tuis proferre paginis, sed & ea prouincia Theologo reseruata est, & ego mihi alia responsionis septa præscripsi. Ac ne totus in hoc opere habearis alienus, & si singuli sua vendicent, quod in fabulis de coruo est, implumis

Sanderus stu. pet opus proprium.

Sanderus in conuitijs suus, in cæteris totus alienus est

atque nudus iure optimo ridearis, agnoscam ego subesse in hoc opere aliqua in quibus tuus es, quæq; ex tuo solo sensu ingenioq; deprompta videri possunt. Hæ sunt conuitiorum calumniarumq; quas vbiq; fere admoues faces, vt patriam seditionum ac ciuilium tumultuum incendijs vix restinguendis vastares. In his tam acris atque vehemens es, tanto odio ferues, tam præceps in nos irruis, vt amentia quadam concitatus rerum tuarum ordinem singulis pene ætatibus intexendis in nos opprobrijs peruertas ac permisceas. Illi tibi videntur fortasse perpetui quidam & festiui sales quibus totus septimus ille liber aspersus atque condîtus est. Quàm verò sint insipidæ, q̃ fatuæ, q̃ te nullius salis aut comitatis hominem, sed rudem planè agrestemq; scutram designent mox viderimus. Interea non ego singula tua maledicta, quæ leuitatem atque stultitiam, sed ea quæ summum scelus, recond. tumq; in præcordijs virus, ac impietatem ostendunt tuam, qualia sunt ea quę regibus ac Reginæ patrięq; nõ tam petulanter, q̃ turpiter a te inferuntur cõmemorabo.

Sanderus contumelioſe ac falsò Reginam Sacerdotem esse cõtendit, quoniam Ecclesiæ gubernatrix est.

I. ATque illud primum occurrit mihi, in quo non tam molesta nobis est maleuolentia, & iniqua interpretatio tua, quàm ridicula & contẽnenda stultitia. *Pepuzianos, Quintilianos, seu Priscillianos ex Epiphanio narras, qui gratias agebant Euæ, quòd de ligno prudentiæ comedisset. Iidem etiam (vt ex Augustino profers) mulieres honorabant sacerdotio. Et apud Anglicanos*

Lib. 7. pa. 275

*canos (inquis) Caluiniſtas mulier, quæ regnat, etiam ſummo Pontificatu in ſuo regno honoratur, dicituráz, in omnibus etiam ſpiritualibus cauſis ſumma Eccleſiæ gubernatrix ſeu caput.*

Ob eam etiam cauſam Henricum octauum impiè Iuliano Apoſtatæ comparat.

ET paulò poſt cum de Iuliano Apoſtata ſcribis. *Iulianus (inquis) cum antea fidem Chriſtianam profeſſus fuiſſet, ſubitò mutata Religione, ſe Pontificem vtique Græcum nominauit. Hoc idem in Chriſti religione, imitatus eſt, inquis, Angliæ Rex Henricus octauus, abdicata ſedis Apoſtolicæ vnitate, ſe appellauit ſummum Eccleſiæ Anglicanæ caput, quod perinde eſſe ais, ac ſi ſe Pontificem nominaſſet.* Primum hoc edico tibi, Sandere, futurũ, omnia illa hæreſium genera quæ tu impudenter noſtris attribuis, iuſtiſſimè veriſſimèq; ab ipſo Simone Mago, quem tu primum hæreticorũ nominas, quemq; Monarchiæ tuæ authorem verius quàm Simonem Petrũ ſtatuere potuiſſes, ad vltima hæreticorum tempora in vos ipſos eſſe referenda, probatũq; iri huius veſtræ Monarchiæ diſciplinam nihil aliud eſſe quàm ex omnibus qui ab Euangelio deſciuerunt, regnandi cupiditate confictam conflatamq; doctrinã, neq; extitiſſe vnq̃ inſignem contra Eccleſiam Chriſti Hæreticum, quem Romanus Monarcha non ſit imitatus. Sed ne me dicas Sandere tui ſimilem, nimiumq; in his quæ mei non ſunt inſtituti prouectum, cum ſatis mihi ſit tuam indicaſſe atque attigiſſe malitiam, omiſſis his quæ in Lutheranos, Zwinglianos, Caluiniſtas, & in nos vniuerſos a te ſine iudicio perinde atque in buccam

2. Lib. 7. pa. 333.

Pontificia diſciplina.

Sanderi in fingẽdis conuitijs temeritas & impudentia.

cam (vt aiunt) venerint, temerè efferuntur, videamus quanto cum scelere ac flagitio de patria, principibusq; quos colere ac reuereri debuisses tam aperte falsa prædicas. Ac primum in eo apparet, quàm insignis tua sit in calumnijs fingendis impudentia, quod cum exprobare Reginæ illum quem iustè sibi vendicat summæ gubernationis titulum cupias, eumq; vt fœminarum in sacris præfecturam falsò reprehendas, eum vt infames falsarij solent, mutilum & imperfectũ proferas. In iure didicisti Sandere. Inciuile esse, nisi tota lege perspecta, de aliqua eius parte pronunciare. Neq; enim prudentes ex alicuius sententiæ parte, sed ex integra & absoluta sententia dicentis aut statuentis mentem colligunt. Itaque Senatus populusq; noster nunq; tam excelsum titulũ principibus nostris detulerunt, vt eos suprema Ecclesię nostræ capita absolutè nominarent, sed his adiectis verbis, *Proximè ac secundùm Deum*, multò sanè venerantius quàm vos qui D. nostrum Ihesum Christum sanctum Deum dicitis, vestrumq; Monarcham quem eius vicarium in terris esse fingitis, sanctissimum, quasi sanctitate ipsum D. Christum anteiret. Hoc a Chaucero Anglorum vt scis Homero, qui ducentis amplius ante annis scripsit, in ea fabula in qua rusticum loquentem inducit, lepidè reprehensum atque lusum est.

Suprema Gubernatio ecclesiæ.

ff. de leg.

Supremum caput.

Chaucerus.

**Principes imperare posse Ecclesijs, & personis Ecclesiasticis, etsi nó sint sacerdotes, vbi de supremi Capitis, & supremi Gubernatoris titulo agitur.**

3. ITaque non tam impij sumus, vt cum Christum supremũ Ecclesiæ pastorem atque caput agnoscamus, cum

eum honorem principibus noſtris aſcribamus, ſed tributam eis a Deo, tam Eccleſiam, quàm Rempub. adminiſtrandi poteſtatem, vt tam in rebus Eccleſiaſticis Clero, q̃ in ciuilibus populo imperare, & vtrumq; ordinem imperio ſuo coercere poſſint atque debeant, contra veſtram Monarchiam contendimus. Quę ſanè regia poteſtas a prioribus Romanis Epiſcopis qui hãc Eccleſiæ Monarchiam nunq̃ arrogabant ita agnita fuit, vt cum quondam Lucius Britanniæ Rex de fide Chriſtiana accepiſſet, ad Eleutherium Romanũ tum Pontificem Legatos miſit, vt Eccleſiæ quam tum inſtituere ac fundare in Britannia decreuerat, iura ex ſcripturis deſcriberet. Eleutherius reſcripſit. Eum ſcilicet Lucium Regem eſſe in Britanniæ regno vicarium Dei, habereq; vtramq;, veteris ſcilicet nouiquè Teſtamenti paginam, ex qua regia poteſtate tam Eccleſiæ ordinandæ quàm Reipub. gerendę iura ſumere poſſit. Itaque ante affectatam a Papis Eccleſię Monarchiam, non videbatur Romanis Epiſcopis nouum vt reges authoritatem ſuam tã in Eccleſiaſticis quàm ciuilibus rebus interponerent. Neq; tamen vt tu iniquè criminaris, aut ille Lucius huius noſtræ Inſulæ primus Chriſtianus Rex, aut noſtri principes, quibus ereptam & longo tempore vſucaptam in Eccleſia gubernanda a veſtro Monarcha poteſtatem reſtituimus, ſacra tractabant, verbum diuinum pro concionibus populo nunciabant, ſacramenta & ritus Eccleſiaſticos populo miniſtrabant, Pontificatus aut ſacerdotia gerebant, Eccleſiaſtica iudicia exercebant, cenſuras in delinquentes proferebãt, ſed hæc ipſa a Pontificibus, atque ſacerdotibus cum opus eſſet authoritate regia

Lucius Britãniæ. 1. Rex chriſtianus ab Eleutherio Papa agnitus in ſpiritualibus & temporalibus Dei vicarius.

Quomodo Principes in rebus ſacris imperare debeant ſacerdotibus.

fieri iubebant, eosq; si quid in suis muneribus perperam cõmisissent, si ordinarijs iudicijs non paruissent, iure suo regio castigabant, monebant, atque increpabãt: et si de religione consulendum esset, eos ad concilia, synodosq; compellebant, quibus tamen ipsi interesse nolebant, sed eos de rebus Ecclesiasticis seorsim a populo agere, statuere ac decernere permittebant. Atque hæc quidem illa summa Ecclesiasticarum rerum gerendarum potestas est, quam principibus nostris electo vestro Monarcha damus, non vt eas ipsi administrent, sed ab his qui Ecclesiastica potestate pręditi sunt administrari prędipiant. Nam & illę fœminæ quas tu apud Pepuzianos, Quintilianos, & Priscillianos hæreticos sacrorum prędides fuisse narras, sacerdotes fuerunt, sacrisq; tractandis sese immiscuerunt.

Iulianus Apostata se ordinauit Grędorũ sacerdotem.

Ipseq; Iulianus Apostata cum a Deo repudiatus & abiectus Christo Domino nostro aduersus esse cœpit, Græcorum sacerdotem sese ordinari fecit, imitatus Regum priscorum fortasse exempla. Cum vt Synesius Cyrenensis Episcopus antiquissimus author scribat, antiquum tempus eosdem & Reges & sacerdotes tulisset. Tu verò audacissime *Rabula* & illarum fœminarum & Iuliani exempla, ita cum nostris principibus conferre vis, vt eos sacerdotes a nobis ordinatos insimules. Qua nulla vnquam fuit manifestior impudentiorq; calumnia. Sed quero abs te cum illa insignis męretrix Iohanna, cuius notissima ac peruulgatissima est historia, sexum mentita virilem Papatum inter libidinosos Cardinales prensans nacta sit, an non fœminæ in sacris imperium quod tibi ita monstri simile videtur, in vestra Monarchia regnauit? Neque

Synesius.

Iohanna męretrix Romæ Papatum gessit, atque sacris præfuit.

impe-

imperium ſollum, ſed ſacrorum atque diuinorum omnium miniſterium atque exercitium, quod nunquam in Chriſtiana Eccleſia alibi quàm Romæ contigit, penes impudicam mulierem fuit. Iam quod illam humani generis labē atque peſtem, Iulianum cum Henrico octauo indytiſſimo Rege confers, quid in illis fuit ſimile, vtriq; docti, ille Imperator, hic Rex. Ita doctrina, ſummæq; maieſtas atque amplitudo dignitatis cum in vtriſq; fuerit, cætera longè diſſimilia extiterunt. Nam Iulianus Chriſto omnibuſq; Chriſtianis aduerſabatur, Henricus pro Chriſto ſuoq; Euangelio contra ſolum Papā eiuſq; aſſeclas in Regno ſuo, vt Regem decuit, nitebatur. Monachorum impuras cauernas, fœdaq; clauſtra diruit (quorum nefandas & pluſquàm beluinas fœditates ac flagitia, ab his qui ea luſtrabant, ad perpetuam memoriam in acta publica relata ſunt, etſi ob rerum huiuſmodi turpium pudorem non dum publicantur, ſed remouentur a vulgo) fratrum Papalium nefarias ſocietates coniunctioneſq; diſſipauit, mortuorum in longinquis peregrinationibus obſeruatam veneratiōē interdixit. Populo ſuo vt in lege Dei meditaretur, vetus atque nouum teſtamentum in ſuam linguam verſum in templis paſſim exhibuit, magnam Pontificiæ fecis partem quæ Eccleſiam Chriſti profanauit, ſuſtulit, plurima ad Euangelij Chriſtiani ſinceritatem reduxit, cætera quę perficere voluit impediebat mors, quę poſtea a clariſſimo adoleſcente rege Edwardo ex voluntate patris ad exitum perducta ſunt. Iam ex his pręclaris geſtis quid Iuliani Apoſtaſim redolebat? Euangelium propagauit, omnibuſq; notum eſſe voluit, ſcholas vt Regni Iuuentus in

Longè diſſimilis Henricus octauus Iuliano.

Henrici Regis contra Papiſmum geſta.

Henricus Rex eiecto Papa Euangeliū propagauit.

omni bonarum literarũ genere inſtitueretur, ac duo in Cantebrigienſi, Oxonienſiq; Academijs magnificentiſſima Collegia, vberrimiſq; a ſe ditata prædijs extruxit, doctos in omni genere ſcientiæ viros beneficijs ſtipendijſq; affecit, Theologos verò eoſq; qui pro concione Euangelium Chriſti diſertè ac ſincerè interpretabantur, ita adamauit, tantoq; in prętio habuit, vt ille ordo a nullo vnquàm Rege munificentius ſplendidiuſq; tractaretur. Nunc igitur adeo deliras, atque ſtupidus es Sandere, vt exiſtimes vllum æquum lectorem tam facilè adduci tua calumnia poſſe, vt credat tam Chriſtianum principem, tam ſcelerato Apoſtatę, qui Chriſti nomen memoriamq; delere ſtuduit, Chriſtianorum cõuentus & ſocietates prohibuit, ſcholaſquè ne literas ſcirent, atque erudirentur, euertit, vllo modo comparari debuiſſe? *At in eo, inquis, Iulianum imitatus eſt quod ſe Eccleſiæ Anglicanæ caput appellauit, quod perinde eſt ac ſi ſe Pontificem nominaſſet.* Quaſi verò nemo eccleſiæ alicuius caput eſſe poteſt, ſi non ſit idem pontifex? Hic mihi libet fuſius tecum Sandere, atq; copioſius agere, eoq; magis quòd hoc op⁹, quod tibi videtur tam eximiũ, ex Philoſophia magis quam ex Theologia conſarcinatum atq; contextum ſit. An cum ex Ariſtotele ac Platone Rerumpub. genera ſumas, eaq; ad eccleſiam gerendam, tuamq; Monarchiam conſtituendam vtcunq; traducas, ex ijſdem vnà noluiſti diſcere, quomodo ſumma imperandi ratio in his pręcipiendis plerumq; conſiſtit, quæ geri atque tractari a præcipiente non poſſunt? Lege illum ſaltem Platonis libellum quem Græce πολιτικον inſcripſit, in quo deſcribit ea quæ ſcire obſeruareq; debeat is qui ciuitatem

Iulianus ſuſcepto ſacerdotio religionem Chriſtianam abolere ſtuduit.

Probatur ex Philoſophis Reges imperare debere ſacerdotibus in ſacris.

Politicus Platonis.

ciuitatem velit regere. Ita cum Ciuitatum gubernandarum rationem definiendo, partiendoq; subtiliter suo more, vt in singulis dialogis ea de quibus tractet facere solet, perucstiget. Omnes artes ac scientias in duo prima genera secat, πρακτικας atque γνώσικας i. aut in rerum actione, aut in cõtemplatione cognitioneq; positas. Deinde cum γνώσικας minutius partitur, vt ea partitione τὴν πολιτικὴν subtilius exquireret cõcludit. ἐφ' ὧν συμπαντὸς τῆς γνωσικῆς, εἰ τὸ μὲν ἐπιτάκτικον μέρος, τὸ δὲ κριτικὸν διαιρόμενοι προσείποιμεν, ἴμμελῶς ἂν φαίμεθα διηρῆσθαι. *i. Si igitur eius scientiæ quæ in considerando cognoscendoquè versatur, vnam imperandi, alteram dijudicandi partem diuidendo appellaremus, aptè & concinnè eam distribuisse dixerimus.* Tum βασιλικὴν seu πολιτικὴν in ἐπιτακτικὴν ponit. Ita his tribus partibus omnis constat ex Platone gubernatio, cognoscendo, imperando, & exequendo, ex quibus secundum eius qui in Ciuitate populum regit, maximè proprium est, primũ sibi cum his quos in consilijs adhibet commune, tertium verò ab eo remotissimũ. Nam vt in omni actione deliberandum est primò quod est scientiæ, deinde statuendum quod est authoritatis, vltimò agendũ quod est obsequij, ita voluit Plato vt princeps ciuitatis de his omnibus quæ ad Ciuitatem pertinent scienter deliberaret, cum Imperio decerneret, & fieri quæ iusserit a magistratibus, in quorum muneribus ille non agendo sed imperando se immiscet, faceret. Ad extremum enumeratis nõ modò artibus sed ordinibus singulis quibus inter se cohærent ciuitates atque Respp. inter quos & vates & sacerdotes & eorum circa res diuinas scientiam ac officia recensct, Regem neque in

Imperandi ratio ex Platone in tribus consistit.

ſacris Pontificem, nequè in re militari Ducem, nec in foro Iudicem, nulloq; alicuius artis aut diſciplinæ miniſterio fungentem, ſed omnibus quæ ad rerum ſiue diuinarum ſiue humanarum ſtatum in Ciuitate ſpectant ἐπιτατ͂τοντα. i. Imperantem his verbis explicat ac definit. τὸ γε δὴ κατανοητέον ἰδόντι ξυμπασας τας εἰρημενας ἐπιστήμας, ὅτι πολιτικὴ τις αὐτῶν ʼοὐδεμία ἐφάνη. τὴν γαρ ὄντως ʼοὖσαν βασιλικὴν ʼουκ αὐτὴν δεῖ πράττειν. ἀλλὰ ἄρχειν τῶν δυναμενῶν πράττειν, γινώσκουσαν τὴν ʼαρχὴν τε καὶ ὁρμὴν τῶν μεγίστων ἐν ταῖς πολεσι, ἐγκαιρίας τε περι καὶ ἀκαιρίας, τὰς δὲ ἄλλας τα προσταχθέντα δρᾶν. *Omnes igitur enumeratas ſcientias conſideranti, intelligendum eſt, ipſarum nullam videri ciuilem. Quæ enim reuera regia eſt ipſam aliud agere non oportet, quàm his quorum eſt ea gerere, imperare, vt maximarum in ciuitate rerum initia progreſſuſquè cognoſcat, ac de rebus oportunè vel importunè gerendis præſcribat, reliquas autẽ artes imperata peragere oportet.* Itaq; Plato omnes illas politicas ſciẽtias quæ in agendo conſiſtunt diſiungit a Regia, hanc verò non ſolùm in contemplando, ſed in imperando cæteris ciuilibus artibus ponit, vt eius vis non in agendo, ſed in iubendo vetandoq; cernatur. Multo ſanè ſublimius, Regiæq; celſitudini dignius q̃ vos qui Principem non modò ad ea agenda quæ cæteris imperat detruditis, ſed & ex eorũ quibus præeſt ordine eſſe debere ſtatuitis, vt in ciuitate municeps vel decurio, in bellis miles, in ruſticis prædijs Agricola cenſeatur. Ita nec in diuinis præeſſe poſſe ſacerdotibus contenditis, niſi illo ſancto ordine ſacratũ. Qua ſanè ratione perinde dicere ſi velitis poteſtis, Monarchã veſtrum quia maritis iura præſcribit neceſſario coniugandum, ideoq;

veſtro

vestro iure non modò Pontificatu, sed & sacerdotio abdicandum, aut omnia illa iura quæ a Pontificibus de coniugijs lata sunt non valere, nec in Christianos coniugatos eis ius imperiumq; fuisse, quia ex eorum numero gregeq; non fuerunt. Verùm omissis vestris tam insulsis rationibus certissima est Platonis sententia Regem ea quæ alijs imperat οὐ δεῖν πράττειν. i. facere ipsum non oportere, sed imperandi finibus se continere debere. Atque hanc magnificam principeq; dignam diuini Platonis doctrinam, ne in vero perspiciendo illius Monarchiæ stupor hebetes tuos sensus possit retardare, exemplis dilucidam tibi Sandere faciam. Numa Pompilius cum populum Romanum non esse Regibus sine religione, & alicuius numinis cultu pariturum animaduerteret, ex Hetrusca disciplina confinxit Religionē, cuius metu suos ciues magis quàm Regali authoritate contineret. Tum Augures, Flamines, & Sacerdotes qui sacris præessent, victimas & sacrificia gentilitijs dijs offerrent, creari imperauit, & deinde quoties opus esset de religione agere, eos ipse Rex ad sacra facienda, & ad numina quæ adorabant per animalium mactatorum exta de his quę ciuitati siue læta siue aduersa imminebant consulenda authoritate regia compellebat, cui suo Iure pręcipienti, Augures atque sacerdotes semper obtemperabāt. Quid exactis deinde a Bruto Regibus cum annua cōsularis potestas Rempub. gubernauit, an non Collegium Augurum, ipseq; Pontifex maximus Consulibus quoties aliquid iubebant æquissimè paruerunt? Atque hi Reges, Romanæq; Ciuitatis principes etsi Pontifici tum maximo Auguribusq; etiam in sacris ac

Numa Pompilius.

Reges atque consules Romani etsi sacerdotibus imperabant, non tamen fuerunt sacerdotes.

diuinis imperabant, non ideo tamen ipsi Pontifices Auguresue fuerunt, aut habebantur. Ita nec Henricus octauus cum Clerus populusq; noster, deturbato ex aliena quam diu vsurpauerat possessione illo tyrãno, quem vos Monarcham dicitis, ius regium in Ecclesiasticis causis abstulissent Regiq; reddidissent, isq; cum non minus Ecclesiæ q̃ Reipub. Anglicanæ curã atque solicitudinem regiam, suamq; esse cognouisset, eam suscepisset, secq; Ecclesiæ Anglicanæ caput dixisset, perinde facere dicendus est atque Iulianus, qui apertas denunciauit Christo inimicitias, eoq; spreto & cõtempto cum ludibrio haberet Christianos, se Græcorum Pontificem appellauit. Si enim Imperatori alicui nauali prælio cum hostibus decertandum esset, isq; naues cõparauerit, eas nautis remigibusq; instruxerit, deinde militibus compleuerit, etsi nec proram nec puppim teneat, nec quicquam eorum faciat quæ ad naualem scientiam spectant, tamen quò naues deducendæ atque impellendæ sunt imperat ac præscribit, nec nautarum minus q̃ militum dux & caput existimandus est: ita Reges cum sacerdotibus in Religione imperant, sacra ipsi facere non dicuntur, cum tamen quæ facienda sunt, imperitant sacerdotibus. An igitur quisq̃ tam insanus, vt Sanderus reperiri potest, qui Imperatores ideo nautas aut nauium gubernatores appellet, quòd in naualibus gerendis pugnis eorum operæ ac ministerio præsint? Etenim in Rebuspublicis quàm multi penecq; infiniti ciuium inter se inuicem distincti ordines reperiuntur, quorum omnium princeps summum caput est, cum is nec eorũ munera tractet, nec in eorum numerum ordinemq; vt

Similitudo.

muni-

municeps cooptetur, omnibus tamen imperet, singuliſq; ordinibus quæ ſunt ex Reipub. vſu gerenda præſcribat.

Penes Conſtantinum, Iuſtinianum, & priores Chriſtianos Cæſares fuiſſe ſupremam rerum Eccleſiaſticarum & in perſonas Eccleſiaſticas poteſtatem.

IAm verò ſi quod eſt præſentis diſceptationis, an Imperatoribus atque Regibus cum ex clericali nõ ſint ordine liceat in religione ſacerdotibus ac Epiſcopis præſidere, priorum Chriſtianorũ Cæſarum exempla, iuraq; adeo ipſa ciuilia, vt in ordinem a Iuſtiniano redacta hodie ſuperſunt videamus. Ac ne longus in hoc ſermone ſim, in quo breuis eſſe ſtudeo, omittam ea quæ de Conſtãtino Cæſare, cuius authoritate trecenti octodecem Epiſcopi ad Nicænũ conſilium conuenerunt, quæq; de proximis ei Cæſaribus conſilia cleri indicentibus ſcripta ſunt, quæ cum tu eadem impudentia qua ſingula deprauare Sandere ſoles, a vero rectoq; ſenſu ad Monarchię tuæ cauſam contorques, audaciam in ea re tuam a Theologo aliquo reprimi ſatius eſt, duo tantùm de Conſtantino proferam: vnum in quo tantopere gloriantur ex Gratiani Rhapſodia Pontificij, de Conſtantini edicto, ſeu vt vocant donatione. Quæ etſi ambitioſiſſimè ficta eſt, refellit tamen id quod Pontificij volunt maximè, hãc in Eccleſias omnes ſummam poteſtatẽ Romanis Pontificibus a Chriſto nõ ab hominibus fuiſſe traditam, cum ex edicto conſtet eam a Conſtantino, omnibuſq; ſuis ſatrapis, & vniuerſo ſenatu, optimatibus, & cuncto populo imperio ſuo ſubiacenti, vt Pontifices Ro-

4.

Conſtantinus Imp.

Conſilium Nicænum.

Donatio Conſtantini contra Pontificios retorta.

Diſt. 96. Cap. Conſtantinus. 1.

„ mani in terris principatus poteſtatẽ conceſſam a no-
„ bis ( inquit ) noſtroq; imperio obtineant. Et paulò
„ poſt: Tribuentes ei poteſtatem & gloriam,& dignita-
„ tem, atque vigorem & honorificentiam imperialem,
„ atque decernentes ſancimus, vt principatum teneat
„ tam ſupra quatuor ſedes, Alexandrinam, Antioche-
„ nam, Hieroſolymitanam, Conſtantinopolitanam, q̃
„ etiam ſuper omnes in vniuerſo orbe terrarum Eccle-
ſias Dei,&c. Hoc Conſtantini edictum fuiſſe, etſi nõ concedimus,id tamen quod nobis dant Pontificij accipimus. Vt hæc poteſtatis Pontificiæ vſurpatio, non a deo, ſed ab hominibus profecta ſit, cum diſerta ſint edicti verba. Vt eam poteſtatem a nobis noſtroq; imperio obtineant. Iam verò ſi hæc authoritas a Conſtantino ( quod ex edicto neceſſe eſt) Romanis Pontificibus tributa ſit,eandemq; Põtifices ab eo ſumpſerint atque retinuerint, certum eſt ante hanc donationem Conſtantinũ fuiſſe omnium Eccleſiarum caput atque Principem. Nemo enim, vt in Iure didiciſti, Sandere, plus iuris poteſt in alium tranſferre, quàm ipſe habet, ſin verò principibus laicis nullam eſſe in Eccleſias,perſonaſq; Eccleſiaſticas iuriſdictionem poteſtatemq; contenditis, quod paulò poſt Gratianus, quem mendacem magis memorem eſſe oportuit, ex Bonifacio & Nicolao Papis aſſerit,tum neq; illa quàm iam vendicant donatio valere potuit, ſi ea conceſſit Conſtantinus quæ ſui Iuris ditioniſq; non fuerunt. Vt in altero reprehendi Pontificios neceſſe eſt, aut nullius momenti eam donationem fuiſſe, aut Pontificem Romanum non a Chriſto aut Petro, ſed a Cæſare hanc in Eccleſias authoritatem accepiſſe. Atque

De reg. Iuris.

Diſt. 97.

ſanè

sanè peritissimus, copiosissimusq; Iuris Doctor Bartolus hanc donationem multis argumentis ex iure ciuili sumptis labefactauit, iurisq; viribus carere probauit, quòd Cæsares tenentur Iure ciuili augere, nõ minuere Imperium, eaq; quę imperialis ac Regalis sunt maiestatis ac Imperij, ne ab ipsis imperatoribus atque Regibus abalienari, atque in alium transferri iure possunt. Alterum quod de eodem Constantino dicendum fuit ex Augustino sumptũ est. Cæcilianus, Carthaginensis Episcopus a Donato quodam de casis nigris in iure de multis criminibus coram Africanis Episcopis postulatus est. Is cum conspirasse in se Episcopos, solicitatione & suasu Donati intellexerat, eorum Iudicio se sistere noluit, ideoq; ob contumaciam absens indicta causa damnatus est. Sed ad Constantinum Cæsarem prouocauit, qui appellationis cognitionem Melciadi Romano Episcopo, adiunctis ei ex Italia, Gallia, & Hispania, quàm plurimis Episcopis, Collegis delegauit, a quibus Cæcilianus absolutus, & Donatus calũnia quia improbè temereq; litigauit damnatus est. Donatus etiam horum iudicium eundem Cæsarem appellando subterfugit. Constãtinus hanc vltimam appellationis instantiam Arelatensi Episcopo mandauit, vt is sua vice nulla obstante appellatione causam definiret. Quis iam Ecclesiæ Christianæ summa tenuit gubernacula? Papa ne an Constantinus? Cæsar an Pontifex? Etenim si quid est quod summam in rebus gerendis Iurisdictionem ostendit, id est appellationis defensio atque patrocinium: summusq; ille Iudex est quem vltimo loco appellando adimus. Vbi tum fuit suprema illa & ordina-

Bartolus in Prozmio ff.

A Papa appellatũ ad Constantinum. Epist. 162. in breui collat. contra Donat.

ria Romani Pontificis in cauſis eccleſiaſticis Iuriſdictio? Cur Melciades Collegas ſibi Imperatoris arbitrio adiungi paſſus eſt? Cur Iudicium mandante Imperatore, non ſuo iure ſuſcepit? Cur tam inſignem tulit contumeliam vt Arelatenſis Archiepiſcopi Iudicium ſuo præferatur? Cauſa tota Eccleſiaſtica fuit, & ab Africanis Epiſcopis diſceptata, anteq̃ ad Imperatoris tribunal prouocando eſſet delata. Perſona etiã Eccleſiaſtica nempe Carthaginenſis Epiſcopus, ita in cauſa eccleſiaſtica de perſona eccleſiaſtica authoritate Imperatoris iudicium inſtitutum eſt, & ſummum etiam iudicium a quo non potuit eſſe prouocatio. Quia Imperatoris maieſtas atque celſitudo omnium authoritatem iuriſdictione ſua complexa, nec populi magis quàm Cleri cauſas moderata eſt. Atque quid aut ab illis omni virtute ac doctrina excellentiſſimis noſtris Regibus Henrico octauo, & Edwardo ſexto, aut a clariſſima noſtra Regina, etſi ſummos poſt Chriſtum Eccleſiarũ gubernatores, nos illos agnouerimus, aliud vnquam fuit actum, quàm quod huius Conſtantini, aliorumq; Chriſtianorum Cæſarum exemplo licuit. Etenim ea quæ ordinis Epiſcopalis aut ſacerdotalis fuerunt nunquam ſuſcipiebant neque exercebant, rerum tamen in diuinis gerendarũ gubernacula moderationemq; tenebant. Quod ex Iuſtniani legibus tam ſuis propriis, quàm priorum Cæſarum a Conſtantino ad ſuam ætatem collectis reſcriptis oſtenditur. Quàm multæ enim conſtitutiones a Conſtantino, Gratiano, Valentiniano, Theodoſio, Martiano, Honorio, Leone, Iouiniano, Arcadio, Anaſtaſio, ipſoq; Iuſtiniano, de ſumma Trinitate, fideq; catholica, de

Noſtri Principes in ſuprema rerum eccleſiaſticarum poteſtate Cõſtantinum imitantur.

Leges Iuſtiniani Imp.

In 14 prioribus titulis li. 1. cod. Iuſtinia.

de Ecclesijs, de Episcopis atque Clericis, de Episcopali iurisdictione atque audientia, contra hæreticos, Iudæos, Cælicolas, & Apostatas, multisq; ad Ecclesias spectantibus rebus promulgatæ sunt? Quàm multa præterea ipse Iustinianus de causis Ecclesiasticis seorsim statuit atque sanciuit? Vt nihil ad disciplinam & authoritatem Ecclesiæ spectare videatur, quod non prius atque melius ab Imperatoribus q̃ a Pontificibus decretum atque definitũ fuerit. Subditos itaque tam clericos in diuinis, quàm Laicos in ciuilibus causis Cæsaribus fuisse, iuraq; atque iudicia ab eis accepisse non modò ex istis cõstat, sed ex vniuersi Iuris Romani ab eodem Iustiniano descriptione. Is enim cum iura Christianæ Religioni consentanea, ex veteribus tam Cæsarum rescriptis, quàm prudentum responsis, magistratuum edictis, legibusq; vellet cõponere, omnia iam edixit iura ab imperiali authoritate manare, legumq; initium atque finem a voce principali procedere. At non omnia tamen iura (inquiet Sanderus) neq; certè Ecclesiastica, sed tantùm ciuilia. Hic ego te Sandere, ipsis tuis legibus testibus, vincam & prosternam, ne tecum in Iure amplius mihi de hac controuersia luctari atque contendere necesse sit. Primùm enim postq̃ ius definiuisset esse artem boni & æqui, eamq; a sola Imperatoris authoritate pendere dixisset, ius in duas primas partes diuidit, publicum scilicet & priuatum. Ac priuatum quidem id esse definit, quod ad singulorum vtilitatem spectat, ex quo scilicet suum atque proprium in Repub. cuiusq; fit. Publicum autẽ id esse dicit, quod ad totius Rei Romanę. i. Imperij statum pertinet, idq; tribus in rebus, videlicet, sacris, sacer-

In Authen.

Iure ciuili Principes præsunt sacerdotibus in sacris.

Proœmiũ § & inst.

ff. De iust. & iure. li. 1.

sacerdotibus, atque magistratibus consistere. Si igitur totius tam publici quàm priuati iuris authoritatem Imperator sibi vendicauit, si totum Romanum statum tam in sacris quàm in ciuilibus causis negotijsq; rexit, si tam sacerdotibus, quàm magistratibus præfuit, cur iam regibus atque Cæsaribus iuris sui publici plusquam mediam partem eripitis, eorumq; iurisdictionem ciuilibus tantùm causis iudicijsq; circumscribitis? Quid quod idem Iustinianus, cum suam legislationem non ciuilem tantùm ac politicam, sed diuinam ac Christianam esse voluit, nec ciuilem tantùm iurisdictionem, sed & Ecclesiasticam complecti, Iuris prudentiam diuinarum pariter ac humanarum rerum notitiam, iustiq; ac iniusti scientiã definiat, & alibi ex Chrysippo Stoico Græca vsus legis definitione. ὁ νομος, inquit, ἁπαντῶν ἐστι βασιλευς, θειων τε καὶ ἀνθρωπινων πραγματων. i. Lex omnium est Rex tam diuinarum quàm humanarum rerum. Quibus sanè definitionibus atque partitione iuris, ostendit se non ea tantùm iura, quæ rerum dominia, hominum commercia, foriq; actiones distinguant, sed quæ imperij sui populum in religione cultuq; diuino instituere possint esse traditurum. Hîc ego Sanderi acumen expecto, cõmunemq; ab eo Pontificiorũ responsionem audire videor. Etsi Iustinianus hanc sibi in suis componendis legibus iurisdictionẽ arrogauit, Romaniq; ante eum Cæsares, ea vsi sint, non tamen hoc canones, non Romana Ecclesia, non ipsi Pontifices concesserunt. Sed nec ego nunc in eam tecum Sandere partem disputo, licuerit ne id Cæsaribus facere quod fecerunt, neque si id (quod planè sentio) assererem, magis tu mihi crederes,

Iust. de inst. & iure. §. 1.

ff. de leg. l. nam &.

deres, quàm ego tibi hanc Ecclesiæ Monarchiam a Romanis Pontificibus rectè atque iure diuino occupatam esse dicenti. Id enim iam mihi indicare satis fuit, primos Christianos Cæsares hanc summam in Clerum etiam in diuinis causis potestatẽ exercuisse, atque Iustinianum id in ius Cæsareum transtulisse, vt principes in omnibus causis tam sacris quàm ciuilibus, omnibusq; personis tam sacerdotibus quàm magistratibus imperent, vt nulla tibi in principes nostros adeo debacchandi causa Sandere fuit, præterquàm petulantiæ atque morbi, nec cur Henricum octauum Iuliano, aut Reginam nostram illis Priscillianis ac Quintillianis hæreticis, magis quàm Constantinum, Iustinianum, cæterosq; a me supra commemoratos Cæsares comparares. Iam verò si te vox ista *Caput Ecclesiæ*, tam grauiter offendat, vt eam tollerare ac ferre non possis, qui adeo difficilis ac morosus es, vt singulæ nostræ res te vehementer commoueant, sanè etsi a tuis auribus sensibusq; abhorreat, tamen in eo sensu a sacrarũ literarum idiomate atque phrasi non est adeo aliena. Nam & Samuel vates diuinitus admonitus ita Saulum Regem Israel alloquitur. Nonne cum paruus esses in oculis tuis, caput factus es tribuum Israel? vnxitq; te dominus in Regem super Israel? Qui igitur tribuum Israel caput fuit, num nam Leuitici ordinis atque sacerdotum caput non erat? Aut si tunc Reges Ecclesiæ capita fuerunt, nunc a Monarcha scilicet vestro abdicati amplius esse desinant? Non igitur tam insolens atque nouus ille Regalis titulus fuit, vt benignis candidisq; lectoribus, qualis tu, etsi dissentijsses in patriam principemq; vel

Caput Ecclesiæ.

1. Reg. ca. 15.

maximè esse debuisses, displiceret, conuitij certè & debacchandi ansam nisi amenti atque furijs percito prebere non poterat. Verum vt in re tam perspicua atque clara de nomine non sit altercatio neq; controuersia, si veteris legis sacerdotes iussu Ducum, Iudicum, atque Regum, sacra moderabantur & tractabant, si vt illi præscribebant, faciebant, si illis obtemperabant ac parebãt, qui locus tanq; spatiosus campus a Theologo tractandus est, nostrorum principum authoritatem non aliam fuisse, quàm qua Cæsares, & Israelitarum præfecti optimi vsi sunt omnes, æqui lectores facillimè iudicabunt.

Sanderus etiam Edwardũ Regem Iuliano comparat, quoniam electis e Templis Imaginibus, insignia sua proposita sunt.

5. NVnc ad alias tuas non minus ineptas quàm vesanas & impudentes contumelias non sine rubore Sandere pertranseo. Postq; Henricum octauum regem inclytissimũ exemplo Iuliani Apostasiæ reum fecisses, quasi odium quoddam tanti regis te supra modum infestaret, non modò in eum mortuum sæuis, sed & in eius progeniem, atque regni hæredem Edwardum sextum omnibus regijs ornamentis instructum adolescentem eandẽ infers verbis iniuriam.

Li. 7. pag. 333. *Iulianus, inquis, Christi statuam apud Cæsaream Philippi, a muliere, quæ sanguinis profluuio laborabat, erectam deturbauit, suamq; eius loco posuit. Hoc idem in Anglia, tẽpore schismatis sub Edwardo. 6. passim fieri vidimus, vt remota Christi statua, eius loco regia insignia proponerẽtur.* Equidem me pudet his planè impijs atque adeo perfidis in optimos Reges cõuitijs respondere, nisi quòd tam

tam varia & multiplex calumniandi ratio ab aliquo esset repriměda. Iuliani Apostasis tibi Romanæ Monarchiæ addicto & consecrato sanctissimis Christianorũ Regum pro libertate Christianæ Eccl̃esiæ gestis videtur esse similis. Tu enim facinus æquè impium ac sceleratum statuis a Papæ tyrannide, perinde ac a Christi veritate recedere. Imo nisi quis Christum, suumq; Euangelium, ob illius Monarchiæ, ac suorum edictorũ zelum studiumq; deserat, eum etiam Apostatam atque alterum Iulianum confingis. Sed vt pro Henrico Rege antea dictum est, ita pro Edwardo eius filio ac hærede dicendũ, eum summa pietate, fide, doctrina, ac religione adolescentem, postq̃ illa dominatio ac immanitas Pontificia eiecta & explosa, Monachorum impuræ latebræ, fratrumq; societates perfidæ deiectæ, venerationes mortuorum ac imaginum longinquis aditæ & petitę peregrinationibus, & summis inquinatæ flagitijs sublatæ, multaq; sacra pontificia quæ religionem diuinam profanarunt abrogata essent, optimi & de suo regno tam in Ecclesia quàm in Republica præclarè meriti patris vestigia sequutũ, alias fæces pontificias quæ interius in ipsis templis inhærebant, penitus resecasse, sanctorum inuocationes, funebres mortuorum expiationes, Idolorum cultus & venerationes, quia verbi veritate non nitebantur sustulisse, missas etiam & papales precationum formulas superstitionis plenas, & tam proferentibus quam audientibus incognitas ex Christianis ad sacra instituta conuentibus profligasse, tum orationes publicas ac communes verbo dei consentaneas materna lingua quam omnes callebant ædidisse, verbi diuini

Edwardi Regis adolescentis excellens Euangelij dilatandi, & superstitionis delendæ studium.

prædicationem, & ſacramentorum adminiſtrationem primis Chriſti ac Apoſtolorum inſtitutis congruentem magis aſſiduam & frequentem præcepiſſe, ac ſingula pené peregiſſe quæ ad renouandam & perpurgandam omni veſtra pontificia lue atque tabe polutam Eccleſiam pertinebant. Hæc noſtræ eccleſiæ cœlitus euenit per eum Regem reformatio, quem tu Iuliano, nos vt res ipſa eiuſq; virtus poſtulat, Ioſiæ Regi meritò comparamus. Nam quod ad ſimulachrorum, ſiue vt tu vis Imaginum cultum pertinet, vtrum in templis collocari, atque coràm Chriſtianorum ad preces confluentium oculis proponi debeant, vt ſanctorum hominum vita functorum memoriam & recordationem intuentibus renouarent, nolo tecum diſputare, ne à te aut Iulianus, aut vt alij Græci Imperatores, qui Imagines templis eijci præceperunt, Iconomachus appeller. Si verò quòd mihi quidem videtur, atq; ita ſuaſum infixũq; inſidet, vt nihil in hac tua tam prolixa & faſtidioſa Rhapſodia ſit quod me a ſententia dimouere aut auellere poſſit, in templis nihil aures perſonare, oculos permouere, aut ſenſus noſtros afficere debeat, quod animũ vlla ſuperſtitione a diuino ſummoq; numine contemplando retardaret, tollendæ ſunt è templis potiſſimũ Imagines, quibus ipſe pene locus tribuit in imperitorum animis adorationẽ. Nam & natura ipſa in nobis adeó a deo depraua ta eſt, vt ad Idololatriã propenſi & inclinati rapiamur, tum diuini planè eſt ingenij animum a ſenſibus & rebus exterioribus ad verum numinis cultum, qui in ſpiritu ac mente conſiſtit traducere, ad quem verbo diuino, & ardenti oratione excitanda eſt

Edwardus Rex alter Ioſias.

Imagines in templis non collocandæ.

eſt mens humana, non mutis ſignis ac Imaginibus, quæ aut artificij cuiuſdam contemplatione aut aliqua inani meditatione ſenſus noſtros hebetes tardoſq; retinent. Quám procliuis præterea imperitis eſt ac facilis in Idololatriam lapſus, dum rei ſculptæ artificium aut elegantiam, aut rem ab eo cuius forma expreſſa eſt præclarè geſtam admirantur, vt nunquàm ſatis magnam cautionem adhibere poſſint hi, qui eccleſijs præſunt, ne Imaginum in templis collocatio alliciat ad Idololatriam infirmos. Nam quòd obijciunt Pontificij, perire rerum a ſanctis geſtarum ſine Imaginibus memoriam, non magis verum eſt, quám cætera quæ in nos pari temeritate ac inſania garriunt. Laudentur boni ſanctiq; patres, martyres, Confeſſores pro concionibus populo, exornentur, prædicẽtur, maius ſanè accedet audiẽti eos imitandi ſine vllo Idololatriæ periculo, quàm pictas tabulas vel ſculptas formas intuenti deſiderium. Itaque cum tam pius Rex in animo haberet ſubditos ſuos diuini verbi veritate atque norma continere, ſincera religione imbuere, ac a ſuperſtitione arcere, poſtquám concionandi aſſiduitatem, & ſacramentorum Rituumq; diuinorum adminiſtrationem tam præclaré in templis inſtituiſſet, picturas & Imagines non modò periculoſas, ſed verbo diuino planè contrarias in templis haberi putauit, eaſque è parietibus ac feneſtris ſuſtulit ac deleuit. Quibus deletis ipſi ſubditi & parochiani templorum loca Imaginibus iam inania oratione dominica, ſymbolo, decalogo, & præclariſſimis ſcripturarũ ſententijs repleuerũt & exornarũt, cuiuſmodi ſunt hæ. *Deũ timete, Regẽ honorate, Inuicẽ diligite.*

Facilis in Idololatriã lapſus ex Imaginum in Templis intuitu.

Templorum parietes locis ſcripturarum ſub Edwardo rege adornati.

Insignia Regia.

Quæ cultum Dei, officium in Regem, & charitatem in proximos significabant. Ac Regia quidem insignia proposita sunt cum hac deprecatione ex Dauide. *Domine saluum fac Regem*. Vt intelligeret populus nihil quod in templis sub aspectu collocetur, cultum aut venerationem mereri. Nam cum eadem insignia in portis ac celebrioribus ciuitatum locis atq; Curijs, & Regiorum famulorum vestibus, in characteribus, plurimisq; alijs in rebus nullo cultu delato omnibus essent vbiq; obuia atq; communia, certa habita illius temporis ratione non potuit imperitis animis eximi & auferri commodius Imaginum superstitiosus cultus quàm eorum insignium collocatione, quibus nemo tam rudis esset vt venerationem vllam tribueret.

Antiquitus obseruatum in Anglia vt nobilium insignia in templis collocarentur.

6. ILlud enim nunquam à nostrę gentis more consuetudineq; alienum Sandere, fuit, vt Regum, magnatum, ac clarorum virorum insignia in ijsdem in quibus mortui humarentur templis ad eorum sepulchra atq; monimenta ponerẽtur. Non tam indignum ergo fuit facinus vt regis insignia in singulis Regni templis populi aspectui repręsentarentur, præsertim cũ ex vsitato aliorũ insigniũ in tẽplis per Angliã passim positorum exemplo, nullus in ea re metus inducendi ad Idololatriam populi subesse poterat. Si enim sanctorum Imagines in templis sublato illo metu ac periculo essent tollerandæ, quod à Cherubinorum & illius ex ære fabricati in solitudine serpentis imaginibus, quæ expresso dei mandato factæ sunt, ad omniũ Imagines

Inepta Pontificiorum in tuendis Imaginibus exempla.

gines in singulis templis collocãdas solita sua imperitia & insania trahunt Pontificij, tamen cum populus in eiusmodi signis (quod facillimè solet) suspicetur inesse numen aliquod, ac ijsdem genibus flexis, manibus sublatis & extensis, cum lachrymis ac suspirijs supplicare incipiat, nõnè deijcienda sacris locis sunt? Templis exterminanda, conculcanda, conuellenda, cremanda, & quibuscunq; modis delenda? Nam & illius ænei serpentis Imago, cum populus in ea adoranda delirare cœpisset, ab Ezechia clarissimo sanctissimoq; Rege confracta, & in cineres redacta est. An igitur his parcendum est simulachris, quæ sine diuino præcepto solis humanis institutis locum in templis habuerunt? Euge igitur Sandere, quid ais bone vir? quam laudem a Monarcha tuo meritus es, dum excellentissimi regis eiusdemq; adolescentis memoriam iniuria tanta violare studeres, vt eum qui suam gẽtem a vestra tam supina superstitione ad sincerum Christi cultum reuocauit, Iuliano qui Christi imaginem non superstitionis sed religionis odio deiecit, impudenter conferres? Sed de tua impudentia si nunc querelam instituerem, nullum mihi modum finemq; scribendi proponerem. Ea enim castigationem verius quàm responsionem flagitat. *At ignis, inquis, violentus de cœlo delapsus statuam Iuliani circiter pectus persecuit, caputquè vnà cum collo in terram deiecit. At Christiani cum fragmenta statuæ Christi collegissent, in Ecclesia posuerunt.* Præclara hæc fuit & commemoranda Apostasis læsæq; diuinæ in Christo maiestatis vltio. Ostende iam ex tot Angliæ templis insignia illa Regia fuisse cœlitus dissecta, aut vllo fere

Cur Ezechias fregit serpentem.

„ Ignis cæleſtis deiecit Iuliani ſtatuam ſed nõ Edwardi inſignia.

casu deiecta, antequam Mariana vis atque flamma, ferro ac incendio nō illa modò, sed magnam sanctorum multitudinem deleuit atque consumpsit. Ita in illis insignijs nullum apparuit læsæ diuinæ Majestatis indicium, quod in Iuliani statua ostensum esse scribis, vt tuis ipsius scriptis petulantia tua maximè conuicta videatur.

Sanderus Reginā sacrificijs præesse impudenter mentitur, quia missificanti interdixit panis eleuationem.

7 NEquè tamen in eo cōuitiandi scelere pergere desinis, quin vt occurrit aliquid in quo contra Reginam nostram exultare possit impudentia tua, sine delectu quæcunq; possis effundis. *Collyridianos ex Epiphanio in Arabia narras hæreticos, qui Collyriden seu* Lib. 7. pag. 355 *» panem in nomen Mariæ offerebant, quod sacrificium per » mulieres fiebat, Porro nostris inquis temporibus, in An- » glia vidimus mulierem Caluinianistam, non quidem sa- » crificantem, sed tamen quod plus est, & sacerdoti & præ- » dicatori palam in rebus sacris dominantem. Elizabetha » enim, nescio vtrum Lutherana an Zwingliana, quoad » sectam (quia vtriusque sectæ plures pseudoepiscopos præ- » fecit) occupato Angliæ Regno, præcepit venerandæ me- » moriæ Carliolensi Episcopo ad altare iam constituto (cum » adhuc religio catholica non esset abrogata) vt in sua missa » non eleuaret corpus Domini. An non hoc est sacrificio » præesse? Cui ille respondit. Ecclesiam Dei non habere » talem consuetudinem. Præterea eadem, inquis, mulier » (abdicata iam Catholica Religione) Alexandrum Noellum*

*ellum & ſuggeſtu ad populum verba facientem coram omni populo reprehendit, velut a propoſito ſuo digreſſum, quo eum redire iußit. Eadem appellat ſe ſupremam gubernatricem Eccleſiæ Anglicanæ. An non hæc ſunt perſimilia ijs, quæ ab Arabicis mulieribus olim fiebant?* Præclarus ſanè eſſes calumniandi Sandere artifex, niſi te in tanto quo œſtuas odio aliquæ furiæ exagitarent. Nequè enim in his mendacijs opprobrijſquè fingendis voluntas tibi ſtudiumq; deeſt, ſed facultas, quæ ſanè multò tibi vberior adeſſet, ſi ingenium tuum (quod ſatis in eo genere fœcundum eſt) leuiſſimo quouis motu turbatum ſine vllo iudicio ad ſingula non raperetur. Cur enim maledicendi cupiditate eadem a te contra Reginam ita dicta ſunt ſæpius? Quia nullum tibi incidit hæreticarum mulierum genus, cui Reginam non ſtudes alligare. Ita antea Pepuzianas, Priſcillianas, & Quintilianas, quæ Euæ ſacrificabant, nunc etiam Collyridianas hæreticas, quæ Mariæ offerebant in ſacrorum præfectura imitari tibi viſa eſt. At qua in re? nequè enim illa aut ſacris ſe vnquam immiſcuit, aut Euam aut Mariam ſacrificijs, oblationibus, aut vllo diuino honore proſequuta eſt. Quid igitur admiſit? Carliolenſi Epiſcopo miſſificanti interdixit eleuationem corporis Chriſti, idquè antequàm catholica, vt vocas, Religio abrogata eſſet. Quid autem ſi ne omnino miſſificaret prohibuiſſet? An hoc fuiſſet præeſſe ſacris? num nam acceſſit miniſtratura ad altare? aut ſe pro ſacerdote geſſit? quod ab illis Priſcillianis & Collyridianis fœminis factum eſſe conſtat. Conſules atque Cæſares

Prohibere a ſacris pontificem, non eſt præeſſe ſacris.

Romani interdictis ſæpe Aruſpices vetabant, ne coram populo ſacrificarent, tum ne in publicis ſacrificijs animalium exta quibus futura prænuntiabantur conſulerent, ſed immolatis & incenſis victimis ceſſarent, itaque modum præſcribebant his, quorum munus erat ſacrificare, nec tamen ipſi ſacrificabant, aut ſacrificijs præerant. Regina Maria potita Regno, cuius nomen non calumniandi, ſed calumniam refellendi cauſa repeto, etiam legibus de religione contra Pontificios latis in ſuo robore ſtantibus, miſſificandi ac ſacra ex Pontificio inſtituto celebrandi veniam facultatemq; edicto fecit, ſanctos miniſtros a verbi prædicatione, & ſacrorum adminiſtratione ceſſare compulit, plurimos etiam carceribus concluſit, an eam igitur Sandere, Collyridianam aut Priſcillianam hæreticam nominabis? Aut ſi fortè inchoandi atque finiendi præcationum horas, aut contrahendi preces tempora, aut oratiunculam aliquam addi ſiue adimi, aut ritum vel ceremoniam omitti aliquãdo voluit, ideone ſacra feciſſe dicenda eſt? Nam quod Reginæ illud exprobras, in quo facũdiſſimum virum Alexandrum Noellum Pauline Eccleſię Decanum coram populo rogauit, ne a propoſita materia ad aliam aberraret, facis arroganter, neq; impudentiam magis quàm inuidiam profers tuam. Num enim nõ licebit tua pace principibus, eos quos de Religione dicentes libenter & attentè audiunt, iubere ſi opus ſit vt de vno aliquo fidei dogmate aut articulo pro concione ad ſe vel populũ eloquãtur, eoſq; reuocare ſi fortè a propoſito euagẽtur? Atq; hoc ſanè mediocres homines ſępe fecerunt, qui hæreſis idcirco ne ſuſpecti vnq̃ fuerunt.

Maria Regina.

Alexander Noellus.

Nonnulli

Nonnulli etiam diuini & diſerti præcones verbi, admoneri à familiaribus occultè ſeſe patiuntur, ne in medio dicendi, cum eorum oratio fuerit concitatior, incidant in aliam rem alienam à propoſito, minusuè neceſſariam. Si igitur ſereniſſima Regina, cum in concione rem exorſus eſſet Noellus, quam illa tractari cuperet, & cum eum deflexiſſe ad aliam putaret, coram populo non iuſſit, ſed tantum rogauit, vt eó rediret, vnde digreſſa eſſet oratio, tanto ne a te vitio vertendum hoc factum fuit, vt barbaris ac hæreticis Arabiæ fœminis quæ panem Mariæ conſecrabant, tam illuſtris omni virtute princeps adiungeretur. Atq; hunc tam ineptum locum interrogatiũcula concludis, quaſi eum firmiſſimis rationibus comprobaſſes. *An hæc, inquis, non ſunt perſimilia ijs, quæ ab Arabicis mulieribus olim fiebant?* Hîc mihi acumẽ tuum non probatur, qui ſimilitudines eas profers, quę ſunt diſſimillimę peneq; inter ſe contrariæ. Nam ſi me rogas an ſint inter ſe adeò ſimilia, reſpondeo videri mihi longè diſcrepantia. Quando enim illæ quemq̃ ſacrificare, aut de ſacris dicere vetuerunt. Magiſq; illæ Arabicæ Præſtigiatrices veſtris fœminis quæ Mariam diuino cultu adorant; panemq; quem dicitis benedictum venerantur, compararentur & in pari ſuperſtitione conſentiunt: à noſtris enim quæ non ſunt cuiuſquam præterquám ſolius Chriſti cultrices, neq; conſecratum exorciſmis panem probant, ſunt ſanè diſſimillimæ.

Idem Henricum octauum hæreticum & ſimoniacum appellat, quòd eccleſiaſticorum prouentuum primitias cepit.

ATq; quàm ſis cupidus detrahendi, nõ modó mo-

dica, ſed nulla occaſione data, apparet in eo quod al-
Lib. 7. pa. 409. tero probro Henricum octauum Regem adortus ſis. Gregorium magnum hoc modo conquerẽtem narras. *Simoniaca hæreſis noſtris maximè temporibus concitauit aduerſus eccleſiam Dei non modò innumerabilem populi multitudinem, ſed etiam regiam poteſtatem, in tantum vt in Romanam eccleſiam terrenæ ius poteſtatis vſurpet.* Hanc Gregorij quærelam, vt in Henricũ octauũ regem torqueres, ita cenſuram tuam interponis. *Puto autem (inquis) quòd contra eam hæreſim agat, qua Imperatores græci non diu ante nouo more adducti ſunt, vt neminem paterentur Eccleſiæ Romanæ pontificatum gerere, præterquàm ſi pro ſua confirmatione, certum tributum Cæſari perſoluiſſet. Quod cum in quauis eccleſia iniuſtum eſſet, in Romana, quæ cæterarum caput eſt, non niſi iniquiſſimum fuiſſe exiſtimari debet. Cæterum ſi hoc in imperatoribus hæreticum eſt habitum, quid de Henrico octauo Anglorum rege ſtatuemus, qui ſummum Eccleſiæ Anglicanæ caput ſeipſum ſcribens, omnium eccleſiarum & beneficiorum eccleſiaſticorum primitias ſibi & ſuis vſurpauit.* Hæc ex omnibus quæ confinxiſti Sandere, calumnijs inaniſſima atque inconſideratiſſima fuit, nam cęteræ ſpeciem ac ſimilitudinem rerum aliquam præ ſe ferebant, hæc ex apertiſſimis conſtat mendacijs, quæ ne celari quidem poſſunt. Itaque rem quidem falſam & alieniſſimam maledicendi ſtudio ad Henricum octauum auguſtiſſimum principem infamia notandum ſola tua coniectura eaque ſtultiſſima ducis. *Putas inquis, quod contra eam hæreſim agat. &c.* Primùm non alio argumento atque teſtimonio probas id ſenſiſſe Gregorium quàm tua coniectura, deinde

inde hæresim appellas Principum a Clero tributi exactionem, de quo primùm tecum agam, deinde longé præter tuam coniecturam sensisse Gregorium demonstrabo. Romanum Episcopum Syluestrum accepisse a Constantino Cæsare Ciuitatum, multorumq; prædiorum in Italia dominia certum est, pro quibus tributa vt a cæteris qui a Cæsare res soli acceperunt, pendi non iniquum fuit. Itaque & in Anglia pro Baronijs & dominijs quæ maneria dicuntur semper homagium & eiusmodi seruitutum genera atque ipsa tributa ab Episcopis atque clericis, perinde vt a laicis, Regibus præstabantur. Et Episcopi electi antequam Episcopatus inirent ea seruitia Regibus deferebant. Hinc illa Bonifacij Iuris regula. Absurdum est & contra consuetudinem Romanæ ecclesiæ vt pro spiritualibus quis homagium facere cogatur, pro temporalibus illa consueta seruitia non prohibet. Si itaq; hoc illud sit quod tua coniectura voluit Gregorius, ne Reges ab episcopis aut Cæsares a Romanis pontificibus pro electionibus confirmandis tributa flagitarent (quod a Rege aut Cæsare quocunq; ne memini me quidē legisse aut audiuisse præterq̃ abs te vno vnquam) iure conquestus est. Sin verò id voluit vt cũ Episcopat° per totũ orbẽ christianũ a Cęsaribus atq; regibus tãtis dignitatibus atq; vectigalib° aucti & locupletati essẽt, nullã ipsis in belli pacisq; administrãdę difficultatibus ꝓ acceptis beneficijs gratiã refunderẽt, pace vel tua vel ipsi° Gregorij dixerim, iniquũ mihi videri vestrũ iudiciũ. Quanq̃ nõ tam temerè de tãto viro aut suspicari possim, quòd tu audacter facis, aut pronunciare audeã, tam immemorẽ indultorum ab

Eccleſiæ a Cæſaribus, atque Regibus ditatæ.

" Extra. de reg. Iuris.
"

Principes difficilibus temporibus eccleſiarum facultatibus ſubleuandi.

Imperio ſuæ ſedi beneficiorum, ingratumq; adeo fuiſſe Gregorium, vt in pendendis Cæſari pro temporalibus non eccleſiaſticis prædijs ita reluctaretur. Tu verò cuius eſt ſummum ac ſupra cæteros cunctos in patriæ tuę Principes ingratitudinis ſcelus, ſanctos patres ab ea culpa remotiſſimos violenter trahis ad ſceleris tui patrocinium. Nam ſi electionum confirmationes, aut eccleſiarum inueſtituræ cum a Cęſaribus regibuſq; fiunt ſunt hæreticæ, quibus de rebus ſummæ quondã extiterũt inter Principes ac pontifices contẽtiones. Adrianus primus pontifex cum centũ quinquaginta tribus Epiſcopis, qui Lateranenſe conciliũ, cui Carolus magnus interfuit celebrarũt, in manifeſtã hæreſim inciderunt: ſtatuerunt enim, vt antea diximus, Anathemate, vt Romanus pontifex & Archiepiſcopi ac Epiſcopi occidentalis eccleſiæ electionum confirmaciones, & eccleſiarum inueſtituras a Carolo ſuiſq; ſucceſſoribus acciperent. Quod ſatis indicat ea confirmationum atq; inueſtiturarum iura fuiſſe ante diuiſionem imperij Conſtantinopolitanorum Cæſarum propria, in eoq; concilio cum iam Imperij partẽ Carolus obtineret, pontificem cum occidentalibus Epiſcopis ad Carolum etiam eccleſiarum Epiſcopis tradendarũ iura tranſtuliſſe. Etſi excitatis poſtea multis ijſq; pernitioſis controuerſijs ſuccubuerunt Cæſares atq; Reges pontificibus, cum ita ſcilicet vires ſuas firmaſſet illa pontificia Monarchia, vt omniũ vel potentiſſimorum dignitatem poteſtatemq; anteiret. Sed etſi hac confirmandi & inueſtituras dandi authoritate irrepſit ſymoniacum in principibus vitium, non tamẽ id inter hæreſes Sandere referendum fuit. Nunquàm enim

Præſules electionum confirmationes, et Eccleſiarum inueſtituras antiquitus à Cæſaribus atque Regibus capiebant.

Hæreſis atque Simonia differunt.

enim a quoq̃ præterq̃ abs te accepi confusa fuisse & indistincta illa vitia. Pari penè pœna in Iure plectuntur, sed seorsim tamen separata tractantur. Alia sunt etiam permulta eaq; horrenda in hominum mores recepta vitia, quæ tamẽ ab hæresi longo sunt interuallo diiuncta. Itaque vt hęc quę tu nullo discrimine distinguis, suis proprijs notis ac differentijs cognoscamus, ea quæ a Christianis perpetrantur flagitia tum demũ sunt hæretica, cum a suis authoribus defendũtur esse licita, atque iure Christiano permissa. Graue scelus est adulteriũ, grauiora alia, sitq;, si vis, symonia vitiorum omnium deterrima, quæ tamen in hæresim non transeunt, anteq̃ rei eò contumaciæ audaciæq; processerint, vt ea iure diuino facta ac commissa gestiant. Quod nihil aliud est q̃ erroris ac impietatis plenam sententiam contra verbum diuinum vt hæretici solent defendere. Iam verò cum nullum regem aut Imperatorem proferas, qui licere sibi statuerit a Romano Pontifice, aut alijs Episcopis ad confirmandas eorũ electiones munera flagitare, aut tributa exigere, hæreticum nullum doces. Quàm stulta est igitur illa diuinatio tua qua Gregorium putas huiusmodi reges designare? Nec stultà modò sed arrogans & in omnes principes iniuriosa, quibus tu singulis inuris contumelias, vt Henricum octauum aliquo aspergas impuræ tuæ orationis conuitio. Ac mirum quidem est, quòd in hoc loco Reginæ nostræ dignitati pepercris, quæ Monarcha vestro ex Anglicana Ecclesia rursus profligato, Ecclesiasticorum prouentuum primitias atque decimas tanq̃ Regiæ dignitati debitas & ipsa vendicauit.

Vitia & peccata quando in hęresim transeunt.

Principi cur debeantur & conceſſæ ſint tam primitiæ q̃ decimæ ex prouentibus Eccleſiaſticis.

9. ATque ſanè ne tuis turpiſſimis mẽdacijs ab incautis atque credulis fides adiungatur, vix enim tibi fani ſtabiliſq; quiſq̃ iudicij crediderit, exponam paucis quomodo ea primitiarũ ac decimarum a clero delata iura Regi obuenerunt. Qua verò occaſione iugum Pontificium, quod multis antea ſæculis intollerabile viſum eſt, a cleri Anglicani cernicibus ſub inuictiſſimo principe Henrico octauo Rege excuſſum atque depulſum fuerit, & antea diximus, & paucis poſtea dicemus. Liberatis itaque iam omnium animis a tantę tyránidis metu ac periculo, cepit vnuſquiſq; de Pontificijs expilationibus liberè quid ſentiret, dicere. Tum ab ipſis Monachis de ſingulis ætatibus conſcripti annales illis Pontificijs fraudibus ac Rapinis pleniſſimi fuerunt. Quibus inditijs permoti atque inducti Regis Conſiliarij, ea quæ ſub Henrico Rege (qui viginti amplius tum regnaſſet annis) Papa a clero extorſiſſet munera explorarunt. Quorum ſumma tam incredibilis ac infinita fuit, vt ad belli gerendi adminiſtrationem multis annis ſuffeciſſet. Pro ſolis Epiſcoporũ inueſtituris 100000. ℔. Romana Curia illis viginti annis ex Anglia exhauſerat. In reliquis rebus hæc depręda tio fuit infinitior. Quæſtores occulti in Regnum a Papa cum indulgentijs & eiuſmodi impoſturis immiſſi, beneficiorum ſępe integros, ſępe ſemeſtres fructus ac prouentus exigerunt, laicos nõ vi ac minis, ſed dolis techniſq; argento auroq; emunxerunt, vt nulla ſub immaniſſimo tyranno prouincia tam grauiter expilata vnq̃ fuerit, ac ſub Papis Anglia. Ac ante Henrici

Querelæ in Anglia multæ atque graues de pontificijs expilationibus.

Papales emũgendæ pecuniæ fraudes mille.

rici tempora longè atrociores expilationum iniuriæ inferebantur. Prouisionũ quas sibi Pontifices arrogabant prętextu, maxima pars Ecclesiastici census annui Italis & peregrinis tributa, Regnoq; quotannis exportata fuit, relíquam partem occulta illa Pontificia Quæstura ita extenuauit, vt vix aliquid dignæ mercedis doctis in Anglia viris supereſſet. Iam verò mille alijs versutijs oppugnabantur laicorum facultates, vt vno sępe ore Clerus atque populus, Regibus adiumenta subsidiaq; bellica flagitantibus, vnà supplex fuerit, si opem sibi a subditis ferri vellent, vt Pontificum exactiones prohiberent, eorumq; Quæstores Regno procul interdictis arcerent. Hinc, vt ex Annalibus nostris & iure municipali liquet, singulis his recentioribus ætatibus multa decreta, statuta, promulgata & ædita fuerunt contra prouisiones, contra Papę Quæstores, nuntios, ipsosq; Legatos ne in Ecclesia regnoue inconsulto Rege grassarentur. Sæpe etiam eò impudentię Papę progressi sunt, vt prędę suæ partem Regibus pollicitarentur, si prędonibus suis conniuerent. Quæ edicta etsi grauissimis pœnis sancita fuerint, violabantur tamen impunè Pontificiorum audacia, donec Henricus octauus, iure, virtute, atque magnanimitate regia diuinitus sanè insita ac innata, fretus, permissas legibus pœnas sumpsit, Pontificiorũq; vim ac potentiã fregit ac euertit, suos subditos ab illa tyrannide vendicauit, Ecclesiã Anglicanã libertati Christianę, ac sibi suisq; successoribus Regia iura a Pontifice vsurpata restituit. Hîc Clerus cũ tãtum beneficiũ inuicti diuiniq; principis animi magnitudine accepisset, ac in summa libertate esset, eas quas tu no-

Opera regia contra Papales extorsiones sępe implorata.

Æquitas papalis in rapinis diuidendis.

Leges latæ cõtra Papales Quæstores atque prouisores.

Henrico. 8. papales rapinas iure prohibenti concessæ sunt Ecclesiasticorũ prouentuum decimæ ac primitiæ.

minas primitias atque decimas ex Ecclesiasticis prouentibus ne a Papis toties opprimerentur vltro cõcedebat. Quæ cleri concessio ab ipso postea Rege, Prę-sulibus, proceribus, atque populo in Parliamento rata perpetuæ legis vim authoritatemq; sortita est. An tu igitur sceleste, maleq; conciliate, tantum Regem sibi suisquè hæc iura vsurpasse dicis, quæ gratuitò ac libenter a Clero cum omnium Regni ordinum approbatione & consensu in sempiternam profligati Papismi memoriam donata sunt. Sanè cùm in hoc opere quod tam celebre fore putabas, nihil ipso titulo, aut Theologi nomine dignum sit, tum mendaciorum conuitiorumq; sordibus ita passim coinquinatum est, vt tui laudem ex re tam inani captantis cõditio, etsi odio q̃ maximo digna sit, miseranda tamen atque deploranda potius q̃ inuidenda videtur.

Cardinalis Polus Papæ Legatus Reginam Mariam, atque Angliæ Clerum primitijs atque decimis Ecclesiasticis defraudauit.

10. VErùm age bone vir, quoniam hæc primitiarum decimarumq; a clericorũ vectigalibus perceptio adeo execrãda tibi visa sit, vt eam nõ modò symoniacã sed & hæreticã esse decerneres, videamus quo patrocinio possis Monarchã tuũ eiusq; Legatũ nuper in Anglia Polũ a symonia hęresiq; defendere. Edwardo Rege adolescente mortuo, Maria eius soror natu maior Regnũ iure capescebat. Ea omni opera consilioq; reducendo Papismo studuit, quod vix duobus annis consecuta est. Tandẽ Polo Cardinali Legato in Angliã a Paulo.4. Pontifice designato, & a Regina sũma cupidi-

Polus in Angliam legatus.

cupiditate accito, lege data est pontifici suprema ecclesiæ Anglicanæ potestas, quam antequam ab Henrico Rege explosus esset tot sæculis vsurpauerat. Ac toto hoc tempore primitiæ illæ atque decimæ in Reginæ ærarium illatæ sunt, præterfluxit etiam alter annus in quo illius commodo Clero ne adhuc quidem reluctante perceptæ cessérunt. Tandem suasit callidissimé atque versutissimè Polus remittendam esse istam a Clero Henrico Regi eiusq; Regni successoribus datam concessionem, nec sine graui iniuria percipi amplius posse. Sed etsi illicitam dixit, si putasset tamen, vt tu Sandere statuis, symoniacam eam ac hæreticam fuisse, cur non restituēda eorum trium annorum sumpta ex ecclesiasticis vectigalibus emolumenta simul suasit? Cur ex symoniaco & hæretico quęstu ditari eam Reginam passus est, in cuius animæ salutem a Monarcha vestro, animarum peste, legatus datus est? Cur illam si parere noluisset tanquam hæreticam Anathemate, Excōmunicatione, interdicto, aut graui aliqua horrendaue pontificia Censura non perterruit? Itaque vt huius quem tam pium sanctūq; legatum pontificij vbiq; prædicant, ea quam contagione Romana magis quam indole propria contraxit simulatio appareat, longè aliter de his primitijs decimisq; percipiēdis, quam Reginæ dixerat, sensit Polus, nec eas Clero relaxandas, sed a fisco Regio in suum ærarium traducēdas censuit. Nam Maria Regina Poli dicto ita obtemperauit, vt protinus eius Curię, in qua primitiarum atq; decimarum rationes inter Quæstores & ærarij prefectos habebantur, sigilla fregerat atque comminuerat. Atq; cum earum exigendarum a

Regina Maria Poli suasu remisit clero decimas ac primitias, quæ nihilominus soluebantur Polo.

Polus Romæ simulationem didicit.

se potestatem abrogasset, nec tamen Clerus publicis legibus ab eis pendendis solutus adhuc atq; liberatus esset, Poli moderationi, vt pensiones annuas ab Henrico octauo cum Cœnobia demolirentur impuris fratrum monachorumq; reliquijs concessas dissolueret, earumq; solutionibus fiscum liberaret, permissæ fuerũt. Retinuit ille vir cautus & arte pontificia instructus decimas & primitias duobus amplius annis, ac perpaucis solutis pensionibus, quæstũ ingentẽ conflauit, adeò vt cum legatus in magna penuria pro illa dignitate veniisset, nec sustinere illius Amplitudinis sumptus ex vectigalibus Cantuariensis Archiepiscopatus potuisset, moriens peregrinis atque Italis hæredibus ac legatarijs in Testamento constitutis, necessarijs suis singulis summa ingratitudine prætermissis omnia quę in illa primitiarum ac decimarum quęstura corrasit, quæ incredibilia fuerunt, relinqueret. Si hęc igtur Sandere ex sacris vectigalibus decimarum primitiarumq; perceptio symonia atque hæresis censenda est, vtrũ is qui clero, cuius solius interfuit, non modò consentiente sed concedente atque offerente eas accepit, an qui callida & insidiosa apud simplicẽ mulierem oratione extorsit, sibiq; pręter concedẽtis mentem reseruauit, symoniacus ac hæreticus magis dicendus est? Etenim si quæ ficta atq; simulata sunt, delinquentis factum odio congeminant, hoc quod tam magnifico Regi symoniæ hæresisq; falsò obijcis vitium, in Polum, qui simulato sanctitatis officio Reginæ illusit, quæstumq; maximum cepit, totum conuersum residet. Ac vt ab hoc legato, qui cæteros omnes sanctitate anteire putabatur, ad pontifices totamq;

Simulata sanctitas duplex est iniquitas.

tamq; Romanam Curiam transeam. Cum ipse pontifex venditor ac mercator, ipsaq; Roma nihil aliud quam sacrorum omnium forum & emporium tot sæculis fuerit, quo tu ore Sandere audes symoniacos hæreticos nominare? Cum de Henrico Rege iniqué criminaretis, an non omnes penè a Gregorio magno nominatos a te pontifices formidabas, ne cum ecclesias prætio vendebant, prouincias expilabant, iura diuina ac humana vænalia habebant, Symoniam impuné & apertè tanquam iure suo exercebant, & quæ alijs non licerent, sibi tamen licita esse statuebant, ne omnes in te irruerent, impetum facerent, colloq; obtorto, vt capitis causã ob læsam tantæ monarchię maiestatẽ diceres, in Ius violẽter traherent, quòd eos omnes cũ essent symoniaci insimules apertæ hęresis: Hic tu fortasse hanc paratã defensionẽ haberes. Certaui acriter pro Romana, vestraq; Põtifices, Monarchia, nõ vos quibus omnia Iura soluere atq; dirimere fas est, sed eos qui vestrã monarchiã oppugnãt, hæreticos appellaui, in quibus summis cõuitijs calũnijsq; exagitandis, cum nihil, siue iure siue iniuria reprehendi possit, prętermisi, tum Henrico octauo Regi inuictissimo, hostiq; vestro omniũ qui vnq̃ extiterunt regum Christianorũ grauissimo symoniã, quòd concessa sibi a Clero vectigalia percepit, exprobraui, eamq; mea coniectura ex Gregorij verbis conficta hæresim esse dixi, ita eum hęreticum pronuntiaui, vestras autem, ô summi Monarchę, fraudes, dolos, rapinas, ecclesiarum ac sacrorum commercia non enuntiaui, sed reticui atque celaui, pro quibus meritis non Iudicium, sed præmium idq; maximũ expectaui.

Roma forum simoniacum.

Prosopopeia.

Qui tibi ita peroranti cum non prævaricatione, sed stultitia causam pene prodidisses, veniam ea lege facerent, ne in reliquis deinceps conuitijs symoniam, quæ Romæ latissimè patet, ac sine qua Monarchia sua stare non potest, cuiquam obijceres, capiteq; sancirent, si eam hæresim quauis deinceps coniectura affirmares, cum in omnium Christianarum gentium annalibus, & præsertim Angliæ, Pontificum Romanorum tot sęculis Symonia prodita est, vt ea iam occultari nullo modo possit. Ita de cæteris quibuscunq; tibi tuo more garrire permitterent, de symonia saltem tanquam maximo Romanæ Monarchię vectigali ac thesauro summum silentium interminarent ac præciperent.

Monarchia Romana sine Symonia stare non potest.

Huius adeo insulsi scurrilisq; tui operis longa meditatio lucubratioq; hoc in te, Sandere, effecit, vt cum de alijs tam sæpe atq; improbè mentitus sis, ipsa mentiendi consuetudine, ne de te ipse vera dicere possis. Nam cum hoc tuum fuisse in scribendo consilium institutũq; scribas ab ecclesię gubernaculis δημοκρατειαν & ἀριστοκρατειαν disiungere, omnia verò deferre Monarchiæ, tum hanc in pontificibus statuere Romæ, eosq; ad nostra tempora eo quo succedebant ordine deducere, ac vtriusq; Romanæ scilicet, illiusq; contrariæ quam hæreticam appellas Ecclesię, inter se diuersas & repugnantes formas proponere. Septimus hic liber in quo tantopere gloriaris, cuiusq;, cum nihil eo sit turbatius, ordinem admiraris, facilè ostendit curasse te magis de euertenda patria, quàm de retinenda Monarchia atque conseruanda Roma. Quorum vtrumq; etsi a tam perditi atque deplorati hominis

Transitio.

Sanderus mẽtiendi consuetudine contra se mendax.

potestate

poteſtate longè abſit, tamẽ quanta audacia atque impudentia, cum proditione omniq; ſcelere in te coniuncta ſit, ſatis declarauit. Nam cum Monarchiæ tuæ ſucceſſionem penè abſoluiſſes, omniaq; quæ pro ea quocunq; vnquam dicta eſſent coaceruaſſes, nec quicquam præter vltimam tuam de Antichriſto diſputationem ex promiſſo ſupereſſe videretur, noua quadam non minus mendaci & conuitioſa q̃ cætera fuerunt narratione ordiris. *Quot & quanti, tum Epiſcopi tum alij tam Eccleſiaſtici, quàm nobiles & illuſtres in Anglia, Hibernia, & Scotia viri, dignitatem, fortunas, patriam, libertatem, ac denig, vitam, Elizabetha apud Anglos regnante, atque hæreſim profitente amiſerint, vt ne cogerentur Pontificis Romani Primatum abijcere atque abiurare.* Lib. 7. pa. 586.

Si hoc iam Sandere velles, non modò Monarchiam Eccleſiaſticam ſtabilire Romæ, ſed omnes qui in ea tuenda adeo contumaces & præfracti fuerunt, vt omnia iura, neceſſitudines, patriamq; deſeruerint tuo encomio celebrare, cur ab his annis exorſus non es, quibus vacillare cepit, & a Luthero tam grauiter concuſſa primò fuit illius Monarchiæ potentia? aut cur Germani, Galli, aliarumq; gentium pari ſanè pertinacia viri, qui multa Monarchiæ defendendæ cauſa aduerſa ſenſerunt, a te prætermiſſi ſunt? Sin quia Anglus es tuam ſolam gentem illuſtrare ſtudes, cur in eadem cauſa coniungis vnà Scotos, qui etſi vicini ſunt nobiſq; finitimi, nunquam tamẽ diuturna nobis fides, fœdusue cum eis interceſſit. Sed tua hæc ratio fuit, Epiſcopis illis & illuſtribus viris profugis, & inter veſtros ciues aſcriptis tanquam ducibus commemorandis, plebem ad veſtras partes trahere, & ad tumultus impellere, Sanderus opus ſuum ad tumultus concitandos ædidit.

impellere, vt ex perturbatione Reipublicæ Reginæ (quod absit) pernicies, cladesquè atque vastitas patriæ consequerentur, cum alia nulla spes potiundæ in Anglia ditionis Monarchæ vestro reliqua fuisset. Plebem variam & inconstantem, sæpe etiam mutationis rerumq; nouarum cupidam, ducibus & authoribus præmonstratis putabas non esse difficile concitare. Eos etiam qui occultè vestris partibus in Anglia student, ad rebellandum celeres & paratos fore sciebas. Restabat vt existimabas nihil, quàm vt horum a te enumeratorum perduellium præconio tanquam Buccinatoris tuba, omnes qui Monarchæ vestri causa volebant, ad arma contra principem conuolarent. Hæc operis tui meta ad quam omnia referebas, hic finis fuit. Ac vt quod instituisses perficere cõmodius possis, postq̃ illustrissimam Principem tot (vt ante cõmemoraui) conuitiosis vocibus diffamasses, quo regali solio depelli a perduellibus posse iustius videretur, moues ei natalium legitimæq; successionis controuersiam. Perinde ac si huiusmodi Catelinariam orationẽ ad Anglos iam haberes. Postq̃ Elizabetha Angliæ Regina Romanæ Monarchiæ parere nolit, ab eaquè proscripta & Regno mulctata sit, tum ex hijs nuptijs procreata quas Romanus Pontifex sententia lata damnauit, circumspicite animis diligenter Angli, nolite ei obtemperare, sed eorum qui a me recitantur atque laudantur procerum, pręsulum, ac perduellium exempla sequimini, vincula, bonorum amissionem, & exilium cum his vnà perferatis, arma capite, eamq; vi fraudeuè quacunq; deijcite, quàm Monarcha Romanus exterminandam & ex iniustis

Catelinarius in Sandero furor.

iustis nuptijs natam esse decreuit. Hæc omnium quæ a te tam fusè ac prolixè tractantur summa est, atque hoc compendio perstringere opus tam varium, multiplex,& garrulum potuisti.

Sanderus profligati Papismi causas falsò confert in Henrici octaui cum D. Anna Bollena nuptias

AGe igitur quoniam in hoc tanquam cardine tota causa versatur, agamus primùm de illis nuptijs e quib⁹ fœliciſſimus Angliæ partus tanq̃ iubar cœleste in lucem æditus est. Qui vestri Regni calamitas, sui salus est, & diuina potẽtia ab occultis insidijs grauissimisq; periculis liberatus, tã diu regnabit donec vestrum Regnum iam sanè caducum & infirmũ,a cunctis gentibus desertum atque spretũ ipsa desolatione peribit. *Henricus (inquis) octauus Angliæ Rex, vt Annam Bollenam in Catharinæ vxoris suæ adhuc viuentis locũ introduceret, Pontificis Romani ab eo diuortio abhorrẽtis potestatẽ ex Anglia eiecit. Hanc Pontificiam potestatẽ Regina Maria Catharinæ filia, vt desereret adduci nunq̃ potuit, etiamsi mors, viuẽte adhuc Henrico eius patre, ob eam causã illi fuisset intentata. Cũ igitur Deus Mariã regno Angliæ præfecisset, illa honorẽ sedi Apostolicæ debitũ publico Regni assensu reddendũ curauit, vt iam ante explicuimus. Maria verò sine liberis mortua, cum Elizabetha Annæ Bollenæ filia regium thronũ occupasset, mox de eijcienda Pontificis Romani authoritate cogitare cœpit, nec iniuria: videbat enim si primatũ Romanæ Cathedræ agnosceret, suo matrisq; suæ honori derogatum iri, quam illa Cathedra nõ legitimè nuptam Henrico Regi fuisse pronuntiauerat. Ne igitur aut matrem illegitime Regi nuptam, aut seipsam* Lib. 7. pa. 516.

*viuente adhuc priore eiusdem Regis coniuge illegittimè natam fateretur, maluit sedi Apostolicæ in æternum stanti atque adeo florenti repudij libellum dare, quàm breui perituro honori suo quicquam detraxisse videri. &c.* His conuitiorum, vt soles, aculeis bis iam eiecti Papatus causam in Reginam nostram ac maternas eius nuptias conuertis. O verè beatæ & non sine summo numine conciliatæ nuptiæ, cœlestisq; partus ac progenies, quibus patria a seruitute & caligine plusquàm Ægyptiaca erepta atque liberata, & ad verũ Christi cultum restituta est. Fœlix etiam nobis illorum Iulij Clementisq; Pontificum culpa, seu casus dicendus est, quorum vitio dum legem diuinam apertè violauerint, Regiamq; maiestatem dolis luserint, suæ ruinæ, nostræq; salutis atque fœlicitatis causam dederint. Itaque vt tanti momenti rem ab ipsa origine repetamus, nec vt tu, dum calumnijs solis Sandere operam das, in re gesta explicanda quædam sumamus, pleraque verò eaquè maximè necessaria prætermittamus, omnem profligatæ ab Henrico octauo Pontificiæ potestatis rationem, ab ipsorum Pontificum suorumq; Cardinalium atque Legatorum summa impietate fraudeq; atque vafritie profectam fuisse docebimus.

Fœliciſſimæ Regis Henrici octaui cum D. Anna Bollena nuptiæ.

Pontificum culpa, qui contra ius diuinũ in nuptijs regijs dispensarũt fœlix Angliæ.

D. Catharinam Arturo Principi Henrici Regis 8. fratri maiori primò, deinde Henrico ex dispensatione Iulij Papæ cõtra ius diuinum nuptam fuisse.

12

Henricus septimus.

HEnricus septimus summa prudentia atque frugi Princeps, cũ & intestinos motus cõpescuisset, & illata ab exteris hostibus detrimẽta auertisset, curauit vt

vt affinitatis neceſſitudine Ferdinandum Hiſpaniarũ Regem ſibi poſteriſq; deuinciret. Ac huius coniunctionis fœderiſq; deſiderio, mox nuptiæ inter Arthurũ Walliæ principem Regis Angliæ primogenitum, & Catherinam Ferdinandi Hiſpaniarum Regis filiam ſequutæ ſunt. Hæc decimum octauum, ille decimum quintum ætatis annum, cum hæ nuptiæ celebrarentur, expleuerat. Vtriuſq; ętas cum ille pubes ex ephœbis exceſſiſſet, illa diu anteà viri potens fuiſſet, nequaquam immatura thoro, tum ex forma iuuenili regalibuſq; delicijs deeſſe non poterant fomenta, quę cum ſe mutuis tenerent amplexibus, ad coeundum accenderent. Ita ad thalamum atq; thorum coniugalem ab epulis delicijſq; nuptialibus ſumma nocte deducti cõcubuerunt. Quid nam ex his quæ ad coeundum etiam infimæ conditiones homines impellunt, ſecundùm Comicum defuit?

Ferdinandus Hiſpaniarum Rex.

D. Catharina Ferdinandi Regis filia Arturo Henrici filio nupta.

Coiugatorum Principum concubitus.

*Suaſit Amor, vinum, nox, adoleſcentia.*

Atq; veriſimillimas iſtas coniecturas clariſſima indicia ſequuta ſunt. Princeps ſummo mane cum in lecto adhuc eſſet, præter conſuetudinem potum flagitabat, quo accepto & profundius exhauſto, interrogatus à miniſtrantibus cur iã ſolito vehemẽtius ſitijſſet, reſpondit ſe ea nocte in calida feruentiq; Hiſpaniarum Regione fuiſſe, ex cuius æſtu tantam ſitim contraxerat. Peractis deinde nuptijs in Walliam vnà proficiſcebãtur prouinciam, cuius Arthurus princeps erat, vbi cum in coniugalibus officijs atque ſolatijs quinque menſibus ſimul vixiſſent, Arthurus acuta febri corrept⁹, quæ venerem ſæpè ſequitur, interijt. Eo

Arturi mors.

Hēricus Arturi frater natu minor ob ſuſpitionem fraternæ ſobolis ex D. Catharina abſtinuit Principatu Walliæ.

verò mortuo cũ Wallia prouincia iure hęreditario Hérico Eborac. Duci fratri minori, ſi Arturo non ſupereſſet ex cõiuge proles, obueniret, abſtinuit tamẽ principatu Henricus tãtiſper dum certũ exploratumq; fuiſſet, num nã Catharina ex Arturi congreſſu ferret vterũ. Cumq; nõ concepiſſe eam cognitũ eſſet, ſuſcepit principatus Walliæ titulũ Hēricus. Vixit deinde Catharina ſex annis amplius in Anglia vidua, dote quidẽ locupletiſſima affecta, ac Henrico 7. Rege defuncto cũ filius minor natu Henricus octauus Arturi frater ſucceſſiſſet, egerunt cum eo quidam vt Catharinam ſuam Fratriam vxorem duceret. Inter Regios tum Cõſiliarios maximę authoritatis fuerunt Gulielm⁹ Warhamus Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Richardus Foxus pręſul Wintonienſis. Hic nuptias ſuaſit, ille diſſenſit. Verùm cum in deliberatione conſilioq; quereretur licitę ne eſſent illæ nuptię, Regiq; atque Regno expedirent, vicit in illo cæco ſæculo religionem ſanctionemq; diuinam vtilitas. Suſpicabantur enim atq; metuebant D. Catharinam ſi non ab Henrico Rege duceretur, propter dotis magnitudinem ad externas nuptias ſolicitandam, fortaſſe etiam Gallo aut Scoto infenſiſſimis regni hoſtibus in matrimonio collocandã. Id quod dotis vectigalib⁹ Regno exportãdis, non mediocri eſſet detrimẽto Reipub. Tũ illis nuptijs firmiſſimũ cum Hiſpaniæ Rege fœdus, magnũq; ex eo cõtra mobiles Gallos pręſidiũ cõparari. Quibus rationibus Rex octodecim tantũ annos natus facilè p ætatẽ Conſiliarijs maximè ſuadentibus allectus eſt ad eiuſmodi connubiũ, quod quia iure diuino fuit nefariũ, ad Papã Iuliũ, in cuius pectore omnis diuini humaniq; Iuris oraculũ latere putabatur, illico recurren-

D. Catharina vxor Arturi, ab eoquè cognita eo mortuo,

dum

dũ fuit. Is qui non vt Moſes accipere leges a deo, ſed acceptas relaxationibus & impunitatib⁹ profanare ac diſſoluere conſueuit, ex ſuo ſacro ſcilicet ſcrinio Cardinalibus etiã pler.ſq; ac theologis maximè diſſentientibus, Ferdinando verò Rege pro Catharinæ filiæ ſuæ nuptijs, magnis muneribus acriter vrgente atque ſolicitante diploma produxit. In eo prohibitas atq; interdictas iure diuino nuptias, iure ſuę monarchiæ Hẽrico atq; Catharinę indulſit ac permiſit licitas. Atq; hoc Papali priuilegio Henricus atque Catharina coierunt inter ſe nephariè, in eoq; congreſſu errore pontificio decepti 20. annos vnà vixêre.

Henrico eius fratri minori ex diſpenſatione Iulij Papæ nupta.

Volſæus Cardinalis atque Pontificij de dirimendis cum D. Catharina nuptijs primi ſuaſores fuerunt.

CVius dirimẽdæ ſocietatis non Anna Bollena integerrima atq; pudiciſſima coniunx, non amor alienus, nõ alterius illecebræ, nec cuiuſquã rei cupiditas, ſed ipſa fraus impietaſq; Papalis rurſus cauſa fuit. Omnia enim illis 20. annis a Volſæo Cardinali Eborac. Archiep. pontificiſq; legato annuẽte Rege gerebantur. Qui Regni Cãcellarius & pontificis legatus, tanta tum ciuili tum eccleſiaſtica poteſtate prædituſ, cum ambitione atq; luxu, tum omnibus põtificijs artibus & impoſturis ita inſtructus eſſet, vt regẽ ipſum non adæquare modò ſed ſuperare imperio niteretur, omnibus belli paciſq; negotijs pene ſolus præfuit. Neque enim erat quiſquam qui non eius vim potentiamq; perhorreſceret. Bellũ etiam tum atrox atq; diuturnũ inter Carolum. v. Imperatorẽ, & Franciſcũ primum Gallorum Regẽ interceſſerat. In quo etſi Henrici Regis cõfœderatio ab vtriſq; expeteretur (is enim ſe marte ſuperiorem fore ſperabat, qui ad ſe Henricum

13

Volſæus Cardinalis Eboracenſis Archiepiſcopus papæ in Anglia Legatus.

Bellum inter Cæſarem & Gallum.

traduxiſſet) diu tamẽ is nullius partis eſſe voluit, donec ob vetera Burgundica fœdera Carolo propenſior, Galliq; iniurijs prouocatus, adhæſit apertè Cæſari. Interea Cæſare atq; Gallo tam hoſtiliter dimicantibus, Cardinales & prçlati Romani, qui partibus magis quàm concordiæ ſtudebant, in duas diſceſſerunt partes, atq; appellabantur aut Cæſariani aut Gallicani. Clemens ſeptimus pontifex Gallo fuit quàm Cæſari amicior, & ſi ob incertos bellorũ exitus eius partes non ſit apertè profeſſus. Volſæus etiã noſter pontificem magiſtrum ſequutus, Cæſari ob Toletani Archiepiſcopatus repulſam aduerſus, omnia Galli cauſa quàm occultiſſimè procurauit. Ac vt Regem à Cçſare, & antiquiſſimo Burgundico fœdere ad Gallum ſolicitaret, iniuit diſſoluendi eius matrimonij, quod inter Regem & Catharinam papali nexu copulatum fuit, rationem. Cuius quidem non minus Cardinalis quàm ipſe Clemens pontifex author & ſuaſor fuit. Is namq; poſtquàm Cçſar Gallum captiuum iuramento de fœderibus obſeruandis aſtrictum relaxaſſet, iuramento Gallum ſoluit, cum eoq; nouum fœdus de Cæſaris potentia quç tunc magnoperè aucta fuit, coercenda pepigit, & de rege Anglię ſibi conciliando per Volſæũ mediatorem magnopere laborabat. Verùm cum præter illud Burgundicum fœdus Catharina quæ Cæſaris amita fuit, tanta neceſſitudine ac beneuolentia Regem maritum in Cçſarem affectum ita tenuit, vt abduci is niſi dirempto matrimonio non poſſit, ea fraus a pontifice atq; Cardinali excogitata eſt, quæ Regi quidem fuit ſalutaris, ſed pontificiæ poteſtati atq; Cardinali exitioſa.

Pontificia factio.

Pontificij Cæſaris odio Henrici Regis cum D. Catharina Cæſaris amita nuptias perturbarunt.

D. Maria

D. Maria a Cæsare Carolo quinto, deinde a Francisco Gallorum Rege repudiata fuit, quia ex illicitis nuptijs nempe fratria susceptа est.

ITaque obrepsit Regi callidè hoc fallaci consilio Volsæus. Quoniã Carolus Cæsar D. Mariam Regis ex Catharina filiam sicut promiserat, non duxisset, sed cum Isabella Emanuelis Portugalliæ Regis filia contraxisset, optimè consultum fore tam Regi quàm Mariæ eius filiæ, totiq; regno, si ea Francisco Gallorum regi nuptũ daretur. Cui capiendo consilio cum inclinatior esset Rex, admissi sunt nobiles ex Gallia in Angliam qui de fœderibus atque pace agerent Legati. Qui cum de simulatis illis nuptijs quas falsò regi insusurrauit Volsæus cõmunicarent, Antonius quidam Vescius qui ex eorum numero fuit, præses Parisiensis vir in omni literarum genere doctus, & in iure potissimũ versatus constructa & meditata cum Volsæo Cardinali fraude, dubitare se dixit vtrum D. Maria e legitimo matrimonio procrearetur, quoniam Catharina eius mater quæ Henrici regis esset fratria, eiusdẽ coniunx iure esse nõ possit. Atq; hoc Antonij Vescij responsum quod nõ sine Pontificis atque Cardinalis dolo, vt eas Catharinæ nuptias dissoluerent, dum clã alias regi parabant, fabricatum est, tanq; scintilla admouebatur Romanæ Monarchiæ incendio. Inerat autem tam versuto consilio hæc occulta fraus, vt Rex repud ata Catharina, Alensoniæ Ducissæ Gallorum regis sorori matrimonio iungeretur. Quibus nuptijs capitales cum Cæsare inimicitias, & æternã cum Gallo coitionem initurum regem sperabant. Ac ne rem tantam non seriò tractare Volsæus videretur, virum in

14.

Volsæi fraus in perturbãdis nuptijs.

Legatio ex Gallia.

D. Maria Regis ex D. Catharina filia repudiata a Gallo quoniã a fratria susceptа est.

Alensoniæ Ducissa Galli soror.

Longlandus Lincolnienſis Epiſcopus a Volſæo inſtructus primus Regem admonuit illicitis ſe teneri nuptijs.

illa ſcholaſtica Theologia perdoctum Longlandum Lincolnienſem Epiſc. Regium tũ confeſſorẽ ad ſe vocauit, ab eo rogauit, an iure diuino fratria duci matrimonio poſſit. Is quorſum ea ſpectaret quęſtio admiratus, vnũ aut alterum deliberandi diem anteq̃ reſponderet, impetrauit, reuerſuſq; Iure diuino id prohibitũ ac nefariũ eſſe affirmauit. Tum Volſæus quid ab Antonio Veſcio Pariſienſi præſide, cum de matrimonio inter Mariam regis filiã & Franciſcum Gallorum regem conciliando ageretur, dictum eſſet commemorauit, ac Longlandum (qui Regius eſſet confeſſor) admonuit ſuum eſſe, cum rege ipſo, tempore q̃ primo cõmunicare, vt demiſſa & repudiata Catharina adulterina cõiuge, iuſtas ſibi nuptias, e quibus legitimum regni ſucceſſorem ac hęredem gigneret, conciliaret, ne ſe legitima prole nõ ſuperſtite mortuo, grauis oriretur & cruenta de regno adipiſcẽdo cõtentio. Sparſi pręterea in vulgus de his vtriſq; tã dirimendis q̃ conciliandis nuptijs tã frequentes rumores, vt res ab omnibus prius cognita, q̃ a Rege, qui ſumma coniugali charitate Catharinã adhuc tenuit, ſuſpecta videri poſſit.

Rex de nuptijs perplexus atque dubius, Theologos & in Iure peritos conſulit.

15 AT pius atque prudens Princeps cum ſe tã a Cæſare, q̃ a Gallo, dum Mariam ex Catharina filiam alteri collocari voluiſſet, repulſam ob eam cauſam q̃ ex fratria eius ſuſcepta eſſet, ferre animaduertiſſet, tum cum & vulgi ſermones, & Longlandi aliorumq; tam in iure q̃ in Theologia doctorum virorum ſententias accepiſſet, animo toto perplexus & turbatus, q̃ iuuenis imprudens, rerũq; ignarus & imperitus in eas nuptias

Rex de nuptijs turbatus.

coniectus

cõiectus fuisset, cœpit, dum certius liquidiusq; omnia cõperisset, delectissimæ sibi fœminæ cõsuetudine carere. Et in Theologis, Iurisq; peritis cõsulendis, remotis cæteris rebus totus ac assiduus versabatur. Quid enim in re tanta cum agere debuisse, Sandere, velles? Nunciabatur ei ex his nuptijs foris infamia, domi periculum imminebat. Regnum prospiciebat se mortuo in ciuiles discordias, dum de hæredis sui iure ambigeretur, præceps ruiturum, nec tutum ab externis periculis esse posse, si intestinis tumultibus infirmum vacillaret. Pupugit eum præterea multò grauius interior mentis atque conscientiæ scrupulus, qui eum ita torsit, vt dies noctesq; ne spiritũ quidẽ iucundũ ducere poterat, donec tã incertæ dubiæq; rei exitum prospiceret. Deum offensum q; præter eius legẽ atq; voluntatẽ tot annis in prohibito thoro versatus esset existimabat, eumq; placari, nisi deleto & profligato crimine nõ posse sciebat. Ita fortissimum & inuictissimum principem infamia, patriæ charitas, atque conscientia indesinenter de remedio adhibendo interpellabant.

Nihil de Anna Bollena ducenda cogitatum cum Rex primùm egit de diuortio.

NEc ille ab vxore diuertendi occasionẽ querebat, nec hãc dubitationẽ nisi ægrè, & sępius a Pontificijs obiectã, ab ipso Pontifice inuentã, populiq; clamoribus agitatam admittebat. Nulla adhuc de Anna Bollena ducenda mentio, nulla cogitatio fuit, aderat etiam vnà cũ hac infamia, vtrum se cum Gallo aut cũ Cæsare coniungeret, anceps & periculi plena deliberatio. Et vt iudicij æquitatem potissimùm sequeretur, scripsit ad Clementẽ. 7. Papã vt Iudicẽ aliquẽ de tanta lite

16. Rex ad Papam Clementem scripsit.

lite cognituru ad ſe protinus daret. Is Campeium qui antea in Angliam cum legatina poteſtate veniſſet, & Volſæum Cardinales in ea cauſa delegauit. Quid, cum illi Iudices pro tribunali, tantæ expectationis iudicium inchoaſſent, cum iam omnium ora diuortium quaſi certum atque decretum eſſet occuparet, de Anna Bollena nihil dictum, ſed ne in ſuſpitionem vllam adductum quidem. Atque tertius hic fuit annus ex quo Cæſar Mariam tanq̃ a Regis fratria natam ei ad coniugium oblatam reſpuit, ſecundus verò poſt eandem a Gallo latam repulſam. Reſonabant interim nõ modò plateæ, ſtadia, atque templa, ſed domeſticorum ſingulorum parietes atque tecta diuortium, cum de Anna Bollena ne verbum vllum emiſſum eſſet.

Pontificij ſtudent Regem cum Alenſoniæ Duciſſa Galli ſorore matrimonio coniungere, vt a Cæſaris antiquo fœdere, ad ineundum cum Gallo fœdus abducerent.

17 QVid tum Sandere, vulgari fama diuulgatum fuit? qua cum nuptiæ contrahendæ? cur ſuſceptum de hoc diuortio iudiciũ? ſi noſtris ſcriptoribus haberi nolles fidẽ, exteris ſaltẽ atque peregrinis crede. Conſule Italos atque Gallos qui illorum annorum res geſtas literis mandauerunt. Reperies Papã, Gallum, Volſæum ac Gallicanæ factionis Pontificios voluiſſe cum Galli ſorore nuptijs irretire regem, quibus a Cæſare ac Hiſpanis toto animo abhorreret, & ab antiquis Burgũdicis pactis pœnitus recederet. Hæc fama volauit, percrebuit, ac noſtrates quib° Hiſpanorũ atq; Belgarũ mores tollerabiliores q̃ Gallorũ fuerunt, perperam de eo diuortio cogitare atq; malè loqui coegit.

Papa ob Gallicam factionẽ perturbauit nuptias.

De

De quo tamen bene sentiebant atq; dicebant, postquã Regem, domesticam, non alienigenam, ad propagandam legitimam sobolem ducturum cognouissent. Sed vt tua Sandere cuiuis patefiat malitia. Cum h: a Pontifice delegati Iudices ad Iudicium incipiendum conuenissent, petebat ne Rex a Catharina separari? dicebat ne iniuitas fuisse ac illicitas eas nuptias quas adolescens iniquo consilio seductus contraxerat? de ea quicquam grauiter dixit, aut conquestus est? Quid igitur fecit? Ob formam, mores, obsequium coniugale, omnesq; animi atque corporis dotes quæ in lectissimam atque rege dignam fœminam incidere possunt, laudauit: doluisse se dixit moueri sibi nõ modò a doctis, sed a principibus viris de iure nuptiarum controuersiam, prospiciendum esse Regno, ne ciuili discordia dum de hæredis sui iure ambigatur, concidat: prospiciendum liberis ne se mortuo habeantur spurij, prospiciendum animæ atq; saluti æternæ, ne nuptiarum prętextu incæstuosam aut adulterinã venerem colat. Catharinam verò tanto sibi coniugali obsequio placuisse, vt eam non modò a se dimittere nollet, verum etiam si ab omni coniugio liber esset ac solutus eam solam expeteret, si cum ea iure possit contrahere. Tantùm petebat vt de nuptijs siue licitæ siue vetitæ iure essent pronunciarent, eas si suo iudicio probarent nihil optatius, nihilq; iucundius accidere sibi posse: sin damnarent multis lachrymis lugendam atq; deplorandam suam condicionem, non modò quòd a tam illustris ac amabilis mulieris consuetudine consortioq; diuertendum esset, verumetiam quod in amplexibus plusquã fornicarijs tam multos annos triuerit sine legitima

Rex coram Legatis Catharinam laudauit.

lite cogniturum ad se protinus daret. Is Campeium qui antea in Angliam cum legatina potestate venisset, & Volsæum Cardinales in ea causa delegauit. Quid, cum illi Iudices pro tribunali, tantæ expectationis iudicium inchoassent, cum iam omnium ora diuortium quasi certum atque decretum esset occuparet, de Anna Bollena nihil dictum, sed ne in suspitionem vllam adductum quidem. Atque tertius hic fuit annus ex quo Cæsar Mariam tanq; a Regis fratria natam ei ad coniugium oblatam respuit, secundus verò post eandem a Gallo latam repulsam. Resonabant interim nõ modò plateæ, stadia, atque templa, sed domestici singulorum parietes atque tecta diuortium, cum de Anna Bollena ne verbum vllum emissum esset.

Pontificij studeant Regem cum Alensoniæ Ducissa Galli sorore matrimonio coniungere, vt a Cæsaris antiquo fœdere, ad ineundum cum Gallo fœdus abducerent.

17 QVid tum Sandere, vulgari fama diuulgatum fuit? qua cum nuptiæ contrahendæ? cur susceptum de hoc diuortio iudiciũ? si nostris scriptoribus haberi nolles fidẽ, exteris saltẽ atque peregrinis crede. Consule Italos atque Gallos qui illorum annorum res gestas literis mandauerunt. Reperies Papã, Gallum, Volsæum ac Gallicanæ factionis Pontificios voluisse cum Galli sorore nuptijs irretire regem, quibus a Cæsare ac Hispanis toto animo abhorreret, & ab antiquis Burgũdicis pactis pœnitus recederet. Hæc fama volauit, percrebuit, ac nostrates quib° Hispanorũ atq; Belgarũ mores tollerabiliores q̃ Gallorũ fuerunt, perperam de eo diuortio cogitare atq; malè loqui coegit.

Papa ob Gallicam factionẽ perturbauit nuptias.

De

De quo tamen bene sentiebant atq; dicebant, postquã Regem, domesticam, non alienigenam, ad propagandam legitimam sobolem ducturum cognouissent. Sed vt tua Sandere cuiuis patefiat malitia. Cum h: a Pontifice delegati Iudices ad Iudicium incipiendum conuenissent, petebat ne Rex a Catharina separari? dicebat ne iniuitas fuisse ac illicitas eas nuptias quas adolescens iniquo consilio seductus contraxerat? de ea quicquam grauiter dixit, aut conquestus est? Quid igitur fecit? Ob formam, mores, obsequium coniugale, omnesq; animi atque corporis dotes quæ in lectissimam atque rege dignam fœminam incidere possunt, laudauit: doluisse se dixit moueri sibi nõ modò a doctis, sed a principibus viris de iure nuptiarum controuersiam, prospiciendum esse Regno, ne ciuili discordia dum de hæredis sui iure ambigatur, concidat: prospiciendum liberis ne se mortuo habeantur spurij, prospiciendum animæ atq; salùti æternæ, ne nuptiarum prętextu incæstuosam aut adulterinã venerem colat. Catharinam verò tanto sibi coniugali obsequio placuisse, vt eam non modò a se dimittere nollet, verum etiam si ab omni coniugio liber esset ac solutus eam solam expeteret, si cum ea iure possit contrahere. Tantùm petebat vt de nuptijs siue licitæ siue vetitæ iure essent pronunciarent, eas si suo iudicio probarent nihil optatius, nihilq; iucundius accidere sibi posse: sin damnarent multis lachrymis lugendam atq; deplorandam suam condicionem, non modò quòd a tam illustris ac amabilis mulieris consuetudine consortioq; diuertendum esset, verumetiam quod in amplexibus plusquã fornicarijs tam multos annos triuerit sine legitima

Rex coram Legatis Catharinam laudauit.

prole, quæ sibi mortuo in tam inclyto regno succederet. Hęc illius tum fuit ad pontificios legatos oratio. Non vt tua Sandere, perhibent consueta conuitia, de alia eius repudiatę loco inducenda, sed de ea, si iure atque conscientia saluis possit, retinẽda cogitauit. Quid deinde Sandere, cum ad Catharinam ipsam Cardinales accessissent, suæq; legationis causas nunciassent, an illa alienatum a se Regem alterius cuiusquam amore conquesta est? an de Anna Bollena quicquam suspicata est? aut in quenquam alium hanc iam tandem post viginti annos suscitatam de nuptijs controuersiam, quàm in Volsæum conferre potuit? Eum solum exœcrata est, exclamauitq; Cæsarem nepotem suum quia Toletanum Archiepiscopatũ ei petenti non concessisset, nec papatum ei vacantem vi ac armis procurasset, tanto fuisse illi odio, vt is iam in nuptijs turbandis nouas tragœdias faceret. An si virum extraneis voluptatibus abductum sui diuortij causas exquisiuisse sensisset, id reticuisset? Volsæo fastum, arrogantiam, tyrannidem, luxũ, vitam dissolutam ac in libidinibus delicijsq; actam obiecit, eaq; a se reprehensa atque notata sępius dixit, ob eamq; causam sui atq; Cæsaris odio, iam de nuptijs controuerti. An si Annę Bollenæ amore captum Regem rata esset, ei peperciisset, quæ tanta potentia Cardinalem, Iudicemq; in grauissima causa sibi datum accusauit? Notum est, mulieres si viros amant, quàm sint Zelotypę, præsertim si iniuria graui lacessitæ sint. Atque repudio non potest legitimæ coniugi virumq; diligenti inferri vlla maior, qua mors ipsa videtur anteponenda. Illa itaque quæ suum

Catharina diuortii causam soli Volcæo imputauit.

coniu-

coniugium tum acerrimè tuebatur licitum, Regisq; ipsius testimonio amantissima eius fuit, tum cum intentatum in publico iudicio diuortium esse cerneret, an non in Annam Bollenam vehementius quàm in Volseum inuecta fuisset, si eius desiderio teneri Regem, diuortijq; iudicium a pontifice popoſciſſe comperisset? Sed illa Regem, non diuortium, nec alterius consuetudinem, sed de quæstione a Gallicæ factionis pontificijs in sui Cæsarisq; odium mota, iudicium expectare sciebat.

**Clemens septimus Pontifex occulto diplomate rescidit Regis cum D. Catharina matrimonium, quod Campegio Legato suo tradidit, vt Regi clam ostenderet, sed tamen reseruaret, deinde metu Cæsaris id iussit igne cremari.**

AQua sanè Gallicana in Cesarem confœderatione, ne Clemens ipse pontifex quem tu mendax abhorruisse ab hoc diuortio dicis, immunis fuit. Is enim antea cum Venetis, Florentinis, atque Gallo de frangenda Cesaris quæ omnibus eminere cœpit potentia coniunctus, Regem non tam ad iudicium suscipiendum quàm ad diuortium flagitandum impulit. Cumq; Campegium Cardinalem misit in Angliam, quo Regi gratificari videretur, decreto quodam quàm occultissimè prolato Regis cum Catharina matrimoninm declarauit irritum, eiusq; decreti tabulas Campegio in Angliã profecturo cũ huiusmodi mandato tradidit, vt ijs Regi ac Volsæo solis ostensis, earum quandocunque vellet promulgandarum potestatem a pontifice se habere diceret, Regem verò deliniret

Campegius Card. Papæ legatus.

In Guicciardini historia sui temporis Italicè cõscripta.

deliniret vt causam aperto iure pro Tribunali agi pateretur, atq; animo æquiori tolleraret iudicium, quod procrastinationibus atque moris protrahere iussit, nec decretum illud traderet, antequam id in expressis a se mãdatis accepisset. Hiccine ille pontifex tuus est Sandere, quem ab hoc diuortio abhorruisse dicis? virum sanè (vt aiunt) dignum, qui cum in tenebris mices, cum aliud clam, aliud palam in matrimonij iure religioneq; decreuit. Quid autem si probauerimus huius pontificis pessimi sanè atque impurissimi Impostoris fraudem & inconstantiam, non modò ad repudiandã Catharinam, sed ad exterminandam vnà cum adulterinis nuptijs vsucaptam illam potentiam Regem commouisse. Verùm antequam ad illam causam accedamus, istam expediamus. In eo igitur quod Campegius & Volsæus Cardinales exercebant iudicio, cum omnis æqua atque legitima matrimonij sui tuendi defensio permissa esset Catharinæ, hęc quæstio quam verbatim ex Archiuis descripsimus, ab vtriusq; partis tam Regis quàm Reginę aduocatis, viris in Theologia atque Iure doctissimis disputata est. *An ducere vxorem cognitam a fratre decedente sine prole, sit prohibitio Iuris diuini indispensabilis a Papa.* Totus Angliæ Clerus tum in synodo congregatus eas nuptias reprobauit, nec authoritate atque dispensatione Papæ contra verbum dei ratas esse posse statuit. Plurimiq; Catharinę aduocati in eam sententiam ierunt. Quid tum? Cum de iuris quæstione controuersia non esset amplius, adhuc tamen in facto subsistebant: dubitabant enim an Catharina ab Arthuro

Clemẽtis põtificis inconstantia.

Campegius & Volcæus Card. ac legati suscipiunt de diuortio iudicium.

Diuortii quęstio.

Principe

Principe Regis fratre maiori cognita esset. Quæ dubitatio non modò ex illis quas supra commemorauimus rationibus, quòd Arturus primò postq̃ cum ea concubuisset, mane potum flagitauit, seq; feruentem Hispaniam transeundo in æstu atque siti grandi fuisse dixit, quodq; Henricus Arturi fratris hæreditate abstinere iussus esset, donec de Catharina an grauida esset certò cognosceretur, facilè sublata fuit: verumetiam ipsius Catharinæ tacita confessione sine controuersia esse iudicabatur, quoniam in eo quod produxit Pontificis diplomate Henrico Regi permissum erat, *Ducere vxorem a fratre suo prius habitam, vel forsan cognitam.* Nam in eiusmodi priuilegijs obtinendis impetrantis motus atque suggestio eiusdem scientiam & confessionem arguit. Nec ad rem pertinebat, quod dubitationis aduerbium *Forsan* inseruit, quoniam quæ hoc Papæ indulgenti suggessit, proprij facti incerta aut dubia esse non potuit. His itaque Iuris atque facti definitionibus cum expeditum iudicium & ad sententiæ ferendæ calculum paratum atque perductum esset, cum tamẽ Campegius a Pontifice (vt diximus) instructus, nouis dilationibus indies vteretur, instabat coram Rex, se iam exitum ac euentum huius Iudicij desiderare: siue ab illo coniugio discedendum sit (quòd minimè vellet) siue in eo manendum (quod si iure diuino liceret, maximè cuperet) gratissimum sibi legati facerent, si maturè pronunciarent, mentemq; atque cõscientiam suam tanta solicitudine turbatam liberarent. Tam ancipiti enim se pendêre cogitatione, vt nequè de publicis, nequè priuatis suis rebus agere aut cogitare trãquillè possit.

Carnalis copula cũ Arturo ex põtificio diplomate a D. Catharina producta probata fuit.

Legatorũ mora & procraſtinatio iudicii Regi fuit odioſa.

Quid cum Rex inclytiſſimus ab his legatis tanta deprecatione cõtendiſſet, ſeq; pene ad eorum pedes abiecisſet, vt de ſuis nuptijs ſiue licitis ſiue interdictis iudicium proferrent, an id quòd imperare in ſuo regno debuit, impetrare potuit? Atque vide Sandere, quàm moroſus ipſe Pontifex fuit, q̃ moroſi ſui Cardinales. Nulla tanti Regis æquiſſima poſtulantis atque deſiderantis ratio habebatur. Legati nouis argutijs & cautelis litem differebant, Pontifex ſubitò cauſam Romam reuocabat. Quidnam tantę mutationis atque varietatis cauſa fuit?

Rex a Cæſaris fœdere recedere noluit, neq; cum Gallo coire, ideo huius incepti diuortij Pontificios pœnituit, & Pontifex cum fruſtra ac inutiliter Gallo diu ſtuduiſſet, metu Cæſaris Legationem ex Anglia reuocauit.

19 CVm Campegius in Angliam Legatus veniſſet, atque illud Pontificis de nuptijs diſſoluendis diploma ſecum tuliſſet, ſpes magna Pontificem tum cum Gallo confœderatum tenuit compeſcendi atque domandi Cæſarem. Expectabat etiam ex his turbatis nuptijs Regis fœdus. Qui etſi Põtifice, Gallo, & Volſæo inſtigantibus de cauſa ſui coniugij cognoſci, ac in Iure diſceptari voluit, tamẽ a Cæſaris amicitia, & inueterato fœdere Burgundico recedere niſi a Cæſare prouocatus noluit. Ita ea ſpe fruſtrati, cum & Cæſaris res in Italia auctæ eſſent, ac vbiq; florere cœpiſſent, & Rex etſi Catharinã repudiaſſet, tam arcto tamẽ fœdere, & affinitatis neceſſitudine cũ Gallo cõiungi recuſaſſet, incepti huius negotij, ex quo nihil niſi dedecus ſe laturos proſpexerunt, eos cepit pœnitere. Pontifex enim

Pontificios incepti atque moti a ſe diuortii pœnituit.

enim cum iam Cæſaris res ſecundas timuiſſet, eum nõ modò deinceps nõ offendere, ſed etiam offenſiones illatas abolere ſtuduit. Et cum eam corã Campegio & Volſæo Catharinæ Cæſaris amitæ agitatã cauſam ei magnopere diſplicere cognoſceret, Franciſcũ quẽdam Campanam illico ad Cãpegium deſtinauit, cum mandato vt illud de dirimendo Catharinæ coniugio diploma, quo maximã non modò infamiam, ſed Cæſaris vindictã timebat, protinus igni traderet. Ægrotabat tunc valde Pontifex, nec de vita eius ſpes a medicis eum curantibus dabatur, ideoq; Campegius Franciſci Campanæ nuncio tardius obtemperauit, quod Pontificẽ in tanta ægritudine mente peſſimè afflixit, cum tamẽ de recuperata eius valetudine Campegius accepiſſet, ſine vlteriori mora diploma concremauit. Tanto igitur iam metu liberatus Pontifex ſtatuit eam Cãpegij & Volſęi Legationẽ reſcindere, cauſamq; Romã in Cæſaris gratiã reuocare. Hoc autẽ cũ ſine indignatione regis apertè facere non poterat, dilationũ nouis dolis vtendũ fuit, de quibus ad Campegiũ ſcripſit, quid eum facere vellet. Legati etiã perinde atque ipſe Pontifex confuſi ac incerti in cauſa hęrebant. Proſpiciebant enim ſi pronunciarent Romanã curiam contra Ius diuinum diſpenſaſſe, omnẽ eius authoritatẽ deinceps eneruarent, ſin eam id remittere ac relaxare poſſe dicerent, quod ius diuinũ poſuit atque ſanxit, omnes Theologorũ greges quorũ ſententijs id damnatũ explosumq; fuit, timebãt. Itaq; in hac ancipiti deliberatione dũ vtrinq; imminere Romanę curię dedecus, tantæq; authoritatis iacturã cernerẽt, tutiſſimum eſſe exiſtimauerunt, aliqua cautela vitare

Franciſcus Campana.

Diploma Põtificium de nuptiis Regiis diſſoluendis igne crematũ.

Pontificii valde perplexi atque dubii in cauſa huius diuortii.

Volsæi dilatoria cautela.

pronunciandi necessitatem ac illudere regi. Suasit itaque Volsæus callidè Regi, sui regni Theologos ac Iurisperitos, etsi authoritate ac doctrina haud essent exteris inferiores, Cæsari tamen ac Hispanis haud æquos in hac coniugij controuersia videri, proinde per Legatos exquirẽdas in celebrioribus Galliæ Italiæq; Academijs Theologorum Iurisperitorumq; sententias. Quam tamen moram etsi maxima rei procrastinatæ solicitudine torqueretur Rex, haud grauatè tamen aut difficulter tulit.

Rex de Iure sui coniugij externas Academias consulit.

20. EA igitur quam supra recitauimus quæstio coram Legatis Regijs in Parisiensi, Aurelianensi, Andegauensi, Bituricensi, Tholosana Gallicis, atque Patauiensi, Bononiensiq; Italicis Academijs, a Theologis ac Iurisperitis disputata est. Quarum singulæ ex nostrorum Theologorum sententiis de illarum nuptiarum Iure responderunt, vt ex sequentibus eorum censuris intelligemus.

Earum sententiæ atque consultationes.

¶ *Censura Almæ Vniuersitatis Aurelianensis.*

21 CVm abhinc aliquod tẽpus nobis Collegio doctorum Regentium Almæ Vniuersitatis Aurelianensis propositæ fuerint, quæ sequuntur quæstiones, videlicet, Si iure diuino liceat fratri relictam fratris (quam fratriam vocant) accipere vxorem. Item & si hoc sit eo iure vetitum, vtrum diuinæ legis prohibitio Pontificali

pontificali dispensatione remitti possit. Nos prædictum collegium post multas ad prædictorum dubiorum disputationem (de more nostro) factas sessiones & congregationes, postq; varios vtriusq; testamenti, interpretumq; iuris tum diuini, tum canonici locos (quoad facere potuimus) examinatos, & omnibus maturè, atque exactè pensatis, & consideratis: definiuimus prædictas nuptias citra diuinæ legis iniuriam attentari non posse, etiam si summi Pontificis accedat indulgentia, vel permissus. In cuius rei testimonium præsens publicum instrumẽtum a scriba præfatæ almę Vniuersitatis subsignari fecimus, eiusdemq; sigillo cõmuniri. Actum in facello beatæ Mariæ Boninuncij Aurelianensis. An. domini millesimo quingentesimo, vigesimo nono, die quinta mensis Aprilis.

## ¶ *Censura facultatis Decretorum almæ Vniuersitatis Parisiensis.*

IN nomine Domini. Amen. Cum proposita fuisset coram nobis Decano & Collegio consultissimæ facultatis decretorum Parisiensis Vniuersitatis quæstio. An Papa possit dispensare, quod frater possit in vxorem ducere, siue accipere relictam fratris sui, matrimonio consummato per fratrem præmortuũ. Nos Decanus, & Collegium præfatæ facultatis post multas disputationes, & argumenta hinc inde super hac materia facta, ac habita, cum magna & longa librorum, tam diuini quàm Pontificij & ciuilis iurium reuolutione, consulimus, & dicimus Papam non posse in facto proposito dispensare. In cuius rei testimonium has

præsentes Sigillo nostrę facultatis,& signo nostri scribæ primi bedelli muniri fecimus. Datum in congregatione nostra apud sanctum Iohannem Lateranensem,Parisijs die vicesima tertia mensis Maij. An. domini millesimo quingentesimo trigesimo.

## ¶ *Censura facultatum iuris Pontificij & Legum almæ Vniuersitatis Andegauensis.*

CVm certo abhinc tempore nobis Rectori & doctoribus regentibus in Pontificia, & Legum disciplina almæ Vniuersitatis Andegauensis sequentes quæstiones propositæ fuerint,scilicet: Vtrum iure diuino pariter, & naturali illicitum sit homini Christiano relictam fratris sui, etiam absq; liberis, sed matrimonio iam consummato defuncti, ducere vxorem: Et an summo Pontifici liceat super huiuscemodi nuptijs dispensare. Nos præfati Rector & doctores post plures ad disputationem huiusmodi quæstionum, & veritatem comperiendam factas ex more congregationes & sessiones,postq; varios iuris tam diuini quàm humani locos, qui ad eam rem pertinere videbantur discussos, multas quoq; rationes in vtramq; partem adductas, & examinatas, omnibus fideliter consideratis, & matura deliberatione præhabita: definimus nequè diuino, nequè naturali iure permitti homini Christiano,etiam cum Sedis Apostolicę authoritate, seu dispensatione super hoc adhibita,relictam fratris, qui etiam sine liberis post consummatum matrimonium decesserit,vxorem accipere,vel habere. In quorum omnium supradictorum fidem præsens publicum instru-

instrumentum a scriba seu notario præfatæ almæ Vniuersitatis subsignari iussimus, eiusdemq; Vniuersitatis magno sigillo muniri. Actum in æde sacra diui Petri Andegauensis in Collegio nostro. Anno dom. 1530. die septima mensis Maij.

## ¶ *Censura facultatis sacræ Theologiæ almæ Vniuersitatis Parisiensis.*

DEcanus & facultas sacrę Theologiæ almæ Vniuersitatis Parisiensis, omnibus, ad quos præsens scriptum peruenerit, Salutem in eo, qui est vera salus. Cum nuper suborta magnæ difficultatis controuersia super inualiditate matrimonij, inter serenissimum Hēricum octauum Angliæ Regem, Fidei defensorem, & dominum Hiberniæ, ac illustrissimam dominam Catharinam Angliæ Reginam, claræ memoriæ Ferdinandi Regis Catholici filiam cōtracti, & carnali copula consūmati, illa etiā nobis quæstio in iustitia & veritate discutiēda, & examinanda proposita fuerat, videlicet, An ducere relictam fratris mortui sine liberis sic esset iure diuino & naturali prohibitum, vt interueniente summi Pontificis dispensatione, non possit fieri licitum, vt quis Christianus relictam fratris ducat, & habeat in vxorem. Nos Decanus & facultas antedicta cogitantes, quàm esset pium, & sanctum, necnon debito charitatis, & nostræ professioni consentaneum, vt his, qui in lege domini secura, tranquillaquè conscientia vitam hanc ducere & transigere cupiant, viam iustitiæ ostenderemus: noluimus tam iustis, & pijs votis deesse. Hinc more solito, apud ædem sancti

Mathurini per iuramentum conuenientes, & ſolemni miſſa cum inuocatione Spiritus Sancti ob hoc celebrata, necnon præſtito iuramento de deliberando ſuper præfata quęſtione ſecundùm deum, & conſcientiam. Poſt varias, & multiplices ſeſſiones, tam apud ædem Sancti Mathurini, quàm apud Collegium Sorbonæ ab octauo Iunij vſque ad ſecundum Iulij habitas, & continuatas, perſcrutatis prius, excuſſiſq; quàm diligentiſſimè, ac ea, qua decuit, reuerentia, & religione ſacræ Scripturæ libris, eorumq; probatiſſimis interpretibus, necnon ſacroſanctæ Eccleſiæ generalibus, ac Synodalibus Concilijs, Decretis, & Conſtitutionibus, longo vſu receptis, & approbatis: Nos prædicti Decanus & facultas, de prædicta quæſtione diſſerentes, & ad eam reſpondentes, ſequẽtes vnanime iudiciũ, & conſenſũ maioris partis totius facultatis aſſeruimus, & determinauim': prout & in his ſcriptis p̃ pręſentes aſſerimus, & determinamus: quòd prędictę nuptię cum relictis fratrum decedentium ſine liberis, ſic naturali iure pariter & diuino ſunt prohibitę, vt ſuper talibus matrimonijs contractis, ſiue contrahendis ſummus Pontifex diſpenſare non poſſit. In cuius noſtræ aſſertionis & determinationis fidem, & teſtimonium Sigillum noſtræ facultatis, cum ſigno noſtri notarij, ſeu bedelli, pręſentibus apponi curauimus. Datum in generali noſtra congregatione per iuramẽtum cœlebrata apud ſanctum Mathurinũ. Anno domini. 1530. Menſis verò Iulij die. ij.

¶ *Cenſura almæ Vniuerſitatis Bituricenſis.*

NOs cum Decano Theologiæ facultas in vniuerſitate

ſitate Biturícenſi (vt doctoris gẽtium Pauli exemplo, pleriſq; locis, auſpicemur ſcriptum noſtrum a præcatione) Omnibus dilectis Dei, in quibus vocati eſtis Lectores chariſſimi, quiq; ad quos ſcribimus, gratia vobis & pax a deo patre & domino noſtro Ieſu Chriſto. Dum cõplerentur dies inter octauas Pentecoſtes, & eſſemus omnes pariter in eodem loco, corpore & animo congregati, ſedenteſq; in domo dicti Decani: facta eſt nobis rurſus quæſtio eadem, quæ ſæpius antea, non quidem parua, hunc in modum. An rem faciat illicitam necne, frater accipiens vxorem a præmortuo fratre relictam, conſummato etiam matrimonio. Tandẽ rei ipſius veritate diſquiſita, & perſpecta multo ſingulorum labore, & ſacrorum iterata atque iterata reuolutione codicum: vnuſquiſq; noſtrum nõ faſcinatus, quo minus veritati obediret, cœpit, prout Spiritus Sanctus dedit, ſuum hoc vnum arbitrium eloqui. Abſq; perſonarum acceptione in veritate comperi, Perſonas memoratas in capite Leuitici octauo ſupra decimum prohibitas eſſe iure ipſo naturali, authoritate humana minimè relaxabili, & vetitas ne inuicem matrimonium contrahant. Quo fit fraternæ turpitudinis abhominabilis reuelatio. Et hoc vobis ſignum noſtri bedelli notariii publici, cum ſigillo dictę ſupra noſtræ facultatis præſentibus appenſo. Die decima Iunii. Anno verò a Chriſti natiuitate, milleſimo quingenteſimo triceſimo. Vt autem noſtrę ſcriptionis pes & caput vni reddantur formæ, quemadmodum ſumus auſpicati a prẽcatione: ita claudamus illius, quo vtimur exemplo. Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti, charitas Dei, & communicatio Sancti

Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

## ¶ Censura facultatis sacræ Theologiæ Almæ Vniuersitatis Bononien.

CVm Deus Opt. Max. veterem legem nedum ad morum, vitæq; informationem, ac institutionem ore suo tradiderit, idemq; humanitate sumpta, mortalium redemptor Deus nouum condiderit testamentum, sed ad dubia, quæ in multis emergebant, tollenda, declarandaq; contulerit, quæ ad hominum perfectionem elucidata non nihil conferunt: nostras partes semper fore duximus huiusmodi sanctissima patris æterni documenta sectari, & in rebus arduis, ac dubitabilibus superno illustratos lumine nostrã ferre sententiam, vbi causa maturè consulta, multisq; hinc inde rationibus, scriptisq; patrum dilucidata fuerit, nihil, quoad possumus, in aliquo temerè ferentes. Cum itaque nos præstantes quidam, & clarissimi viri obnixè rogarint, vt subsequentem casum maxima diligentia perscrutaremur, nostrumq; subinde in eum iudicium ferremus æquissimè, soli veritati innitentes: in vnum omnes Almæ huius Vniuersitatis Doctores Theologi conuenimus, casu prius per vnumquenq; nostrum sigillatim domibus proprijs examinato, summaq; solertia per dies plurimos contractato. Illum vnà mox vidimus, examinauimus, cõtulimus, adamussimq; singula quæq; pertractãtes ponderauimus, rationes quascunq; contrarias, quas fieri posse censuimus, in medium afferentes, atque soluentes, etiam ipsius reuerendiss. D. D. Card. Caietani, nec non Deuteronomicam dispensationem de fratris suscitando semine,

& re-

& reliquas tandem omnes ſententias oppoſitas, quæ ad id negotij facere viderentur. Quæſitum eſt igitur a nobis, An ex ſola Eccleſię inſtitutione, vel etiam iure diuino prohibitum fuerit, ne quis relictã a fratre ſine liberis in vxorem ducere valeat. Quod ſi vtraq; lege, ne fieri poſſit, cautũ eſt, An quenquam poſſit Beatiſs. Pont. ſuper huiuſmodi contrahendo matrimonio diſpenſare. Qua diligentiſſimè (vt diximus) ac exactiſſimè ſeorſim palamq; examinata, ac pro viribus noſtris optimè diſcuſſa quæſtione: cenſemus, iudicamus, dicimus, conſtantiſſimè teſtamur, & indubiè affirmamus huiuſmodi matrimonium, tales nuptias, tale coniugium horrendum fore, execrabile, deteſtãdum, viroq; Chriſtiano, immo etiam cuilibet infideli prorſus abhominabile, eſſeq; a iure naturæ, diuino, & humano diris pœnis prohibitum. Nec poſſe ſanctiſs. Papam (qui tamen fere omnia poteſt) cui collatæ ſunt a Chriſto claues regni cœlorũ: non, inquã, poſſe aliqua ex cauſa ſuper huiuſmodi contrahẽdo matrimonio quenq; diſpenſare. Ad cuius concluſionis veritatẽ tutandã omnes in omnia loca & tẽpora parati ſumus. In quorũ fidẽ has ſcripſimus, Almæq; noſtræ Vniuerſitatis ac ſacri venerabiliũ Theologorũ Collegij ſigillo muniuimus, ſolita noſtra generali ſubſcriptione ſignantes. Bononiæ in Eccleſia Cathedrali, 10. Iunij. Anno Dom. 1530. ſub diui Clementis. 7. Pontificatu.

## ¶ *Cenſura facultatis ſacræ Theologiæ almæ Vniuerſitatis Patauien.*

TEſtantur, qui Catholicam fidem aſtruunt, deum Opt. Max. Legis veteris præcepta filijs Iſrael

ad exemplar vitæ, ac morum nostrorum institutionē ore proprio tradidisse, eundemq; trabea humanitatis indutum, redemptorem omnium factum, nouum testamentum condidisse, & nedum propter hoc, sed ad dubia quæcunq; emergentia remouenda, dilucidandaq; nobis misericorditer condonasse. Quæ ad nostri perfectionem enucleata fructus vberes conferunt & salutares. Nostrum semper fuit, eritq; per sæcula (vti christicolas decet) huiusmodi cœlebratissima summi opificis instituta sectari, & in quibusq; dubitationibus, ac arduis quæstionibus supernaturali lumine freti, nostrum proferre iudicium, vbi res ipsa optimè cōsiderata, multisq; hinc inde demonstrationibus, atque patrum authoritatibus maturè declarata fuerit, temerè, quoad possumus, nihil omnino iudicantes. Cum igitur nos quidam oratores clarissimi suppliciter exorarint, vt subsequentem casum diligentissimè perscrutari dignaremur, atque nostram ferremus exinde sententiam, soli veritati simpliciter attendentes. Qua ex re omnes huius Almæ Vniuersitatis Doctores Theologi in simul conuenimus, re ipsa prius per nostrum quemlibet particulariter proprijs domibus examinata, summaq; cum solertia enucleata, mox in vnum redacti, cuncta considerauimus, examinauimus, omniaq; figillatim ponderauimus: argumenta quæcunque contraria, quæ fieri quoquo modo posse putauimus, adducentes, atque integerrimè dissoluentes, necnon Deuteronomicam dispensationem de fratris suscitando semine, & reliquas omnes rationes atque sententias oppositas, quæ ad id facere videbantur. Quæstio igitur talis fuit exposita, An ex sola Sanctæ

matris

matris Ecclesiæ institutione, vel etiam de Iure diuino prohibitum fuerit, ne quis relictam fratris absq; liberis in vxorem ducere valeat. Quod si vtrobique fieri nequeat, cautum est, An Beatiss. Pont. super huiusmodi contrahendo matrimonio quenquam dispensare legitimè possit. Quo exactissimè (vt dictum est) seorsim, publiceq; discusso, ac pro viribus dilucidato quæsito: dicimus, iudicamus, decernimus, attestamur, atque veridicè affirmamus matrimonium huiusmodi, tale coniugium, & tales nuptias nullas esse, imo detestabiles, atque execrandas Christiano cuilibet esse prophanas, & vt scelus abhominandas, crudelissimis pœnis iure naturæ, diuino, & humano clarissimè prohibitas esse. Nec beatissimum Pont. cui claues regni cœlestis a Christo dei filio sunt collatæ, vlla ex causa posse super tali matrimonio contrahendo quenquam iuridicè dispensare. Cum illa, quæ sunt a iure diuino prohibita, non subsint eius potestati, nec in illa gerit vicem dei, sed solùm super ea, quæ sunt commissa iurisdictioni hominum. Ad cuius sententiæ, ac conclusionis veritatem tutandam, & eiusdem certissimam defensionem, omnes nos vnanimes semper & vbiq; parati sumus. In quorum fidem has nostras fecimus, Almæq; Vniuersitatis nostræ ac sacri reuerendorum Theologorum Collegij sigillo solito cõmuniuimus. Datum Paduæ in Ecclesia Heremitarũ S. Augustini, die primo Iulij. 1530.

## ¶ *Censura Almæ Vniuersitatis Tholosanæ.*

TRactabatur in nostra Tholosana Academia perq̃

difficilis quæstio, Liceat ne fratri eam, quæ iam olim defuncto fratri vxor fuerat (nullis tamen relictis liberis) in matrimonio sibi coniungere. Accedebat & alius scrupulus, qui nos potissimùm torquebat. Si Romanus Pont. cui est commissa gregis Christiani cura, id sua, quam vocamus dispensatione permittat: tunc saltem liceat. Ad vtramque quęstionem cogitandam Doctores omnes regentes, qui tunc Tholosæ aderãt, coegit Rector in consilium. Neque id semel tantùm, sed etiam iterum. Quippe existimans præcipitare non oportere consilia, indigereq; nos tempore, vt aliquid maturius agamus. Demum quum in vnum locũ conuenissent omnes tum sacrarũ literarum disertissimi interpretes, tum vtriusq; censuræ cõsultissimi, deniq; qui quauis in re & iudicio, & oratione viri fœlicibus ingenijs non mediocriter exercitati essent, ac sese sacrosanctis Concilijs parere velle, sanctorumq; patrum haud quaq̃ pijs animis violanda decreta imitari iurassent, & vnusquisq; suam sententiam protulisset, atque in vtramque partem diffusè decertatum esset: tandem in eam sententiam fic fræquentius itum est, vt vno omnium ore alma nostra vniuersitas animis sinceriſſimis, nulloq; fermento vitiatis censuerit, iure diuino pariter & naturali vxorem relictam fratris sui nemini licere accipere. At postq̃ id lege eadem non licet, responsum est, non posse Pont. aliquem eã legẽ soluere. Nec huic sententiæ refragari potest, quòd cogeretur olim frater vxorem demortui fratris accipere. Nam hoc figura erat, atque vmbra futurorum. Quæ omnia aduenientе luce, & veritate Euangelij euanuerunt. Hæc quoniam ita se habent, in hanc formam redegimus, &

per

per notarium,qui nobis est a secretis signari, sigilliq; autentici eiusdem nostræ almæ Vniuersitatis iussimus appensione communiri. Tholosæ. Kalendas Octob. Anno a Christo nato. Millesimo,quingentesimo,tricesimo.

His igitur celeberrimarũ Vniuersitatum sententijs in Angliam relatis ac rescriptis,cum Rex adesse finẽ exitumq; negotio sine alia cunctatione putasset,põtificis legati attoniti atque stupefacti, & vt ille Terentianus Demipho,multò quàm ante incertiores fuerũt. Valdè enim mirabantur clarissimas penè christiani orbis Academias,ipsamq; Bononiã, quæ Papalis est studiorũ vniuersitas atq; Ciuitas,eas nuptias quas Papa sua dispensatione ratas esse voluisset,non modò reprobasse sed nefarias, incestas, abhominandas, atque contra ius naturale pariter & diuinum horribiles nuncupasse. Itaque Iuri definiendo nouas dilationes assignant, ac interea Pontificem certiorem faciunt,dum iftis dirimendis nuptijs,nouisq; conciliandis operam dedissent,in quãtum discrimen suam authoritatem adduxissent, quantasq; turbas in omnibus ferè Academijs de pontificis authoritate litigando concitassent,quorum malorum exitus ne in se recidat citò prospiciendum. Pontifex litem Romam reducturus adhuc procrastinationes imperat, quia Cæsaris in Italiã aduentus præsto fuit. Rex irritatus & difficillimé ferens sibi in Regno ludificari, proceribus, dum prẽsules atque Clerum pontifici ac legatis adhærescere timeret,conquestus est de legatorum dolis ac iniurijs in lite sine causa differenda. Adeunt itaq; ex proceribus maximi, Terentius in Hecyra.

Norfolciæ Suffolciæquè Duces cum regni procerib⁹ flagitant a Legatis in Regis cauſa iudicium.

Norfolcię,& Suffolcię duo duces inclyti a Rege miſſi legatos. Hi de tam crebris dilationibus expoſtulãt, iudicium inſtanter flagitant, in quamcunque partem pronunciant id Regi acceptum fore ſignificant, ita enim ex eius animo eximi & auferri conſcientiæ ſtimulos quibus dies noctesq; affligitur.Campegius latina oratione facunda quidem,ſed ſatis callida ac mendaci, reſpondit adeſſe menſes Auguſtum & Septembrem in quibus more Romano a iudicijs atque fori ſtrepitu ceſſandum eſt:Duces in Iure haud ita periti fuerunt vt orationis elegantis ſpecie Campegium a pertè mentitum perſpicerent, cum & illis menſibus, etſi intermiſſa ſint de alijs litibus iudicia,de matrimonijs tamen atque his cauſis in quibus ad peccatum & animæ periculum vitandum agitur, exerceri iudicia iure poſſunt, ipſæq; feriæ non religionis ſed negotiationis cauſa litigantibus conceduntur,vt a meſſis vindemiarũq; laboribus non reuocentur, nec principibus,ac perſonis illuſtribus,ſed agricolis magis illæ feriæ indultę ſint,qui etſi accipere iudicia non coguntur tamen ſi volunt litigare poſſunt. Verùm cum adhuc ante Calendas Auguſti duo integri dies menſis Iulij ſupereſſent,petierunt duces vt illo ſaltẽ biduo de Regis cum Catharina matrimonio ſtatuerent, vetitum ne an permiſſum eſſet.Sed Campegius reiecta ducum interceſſione,ex pontificis voluntate prorogato ad idus octobris iudicio Curiam dimiſit.Hîc fremere cęperunt duces,& qui cum his aderant proceres,nõ eſſe ferendã tantam a Cardinalibus Regi factã contumeliam.Carolus autem Suffolciæ Dux emiſſo Iuramẽto manu menſã ferijt,exclamauitq; :Veriſſimũ eſſe q̃ anti

Campegii elegans ſed mendax ac verſuta oratio.

Procerum indignatio.

quitus

quitus in Anglia dici consueuit. *Cardinales Pontificioſquè Legatos nihil vnq̃ rectè in Anglia geſsiſſe.* Quæ ducum atque procerum fremens indignatio & discessio, Legatos valdè perterruit. Sed vt Rex de illorum iniuria proceribus, sic illi prælatis atque Clero de tam aperta iniuria Romanæ Curiæ facta conquesti sunt. Hinc a seditiosis sacrificulis concitata plebs, contumeliosissimè de Rege ac proceribus garrire cœpit, vt ad eam compescendam, dum Legatorum authoritatẽ obtenderent vix potestas Regia suffecerit. Campegius a Pontifice euocatus reiecto (vt diximus) ad Idus Octobris iudicio, subitò Romam reuertitur.

Campegius Romã ex Anglia discedit.

Postquàm Rex a Pontifice, suisq; Legatis tam indignè lusus esset, eius in rebus sacris authoritatem in quæstionem vocauit, posteaq; eiecit.

REx hac impietate atque fraude Papali delusus, cum ex Theologorum atque Academiarũ sententijs illicito se teneri coniugio intellexerat, cumq; a Romana Curia nihil præter impostura atque dolos expectandum esse sensserat, inijt consilia qua authoritate matrimonium contra Ius diuinum contractum dissolueret. Atque hic primùm ambigi cępit de Romani Pontificis quam vbiq; exercet Ecclesiastica potestate. Quæ paulò post ex Anglia meritò exterminata est. Quis igitur tibi iam Sandere, videtur animum Regi induxisse, vt a Catharinæ thoro recederet. Maria ex illis nuptijs genita a Cæsare & a Gallo non alia causa quàm nuptiarum vitio repudiata fuit, Pontifex occulto diplomate eas rescidit, Gallus Regem ad suam affinitatem, sororisq; suæ nuptias solicitauit.

22

Prima dubitatio de pontificis potestate cur & quando iniecta?

tauit. Volsæus Cardinalis Regis animum a Catharina primus auertit. Quid cum Rex in rebus Pontificijs nihil præter ambitionem, fucum, dolos religionis prętextu versari apertè videret, an in rei tantæ negotio fidem amplius Romanæ Curiæ adhiberet? Et tamen ne temerè abiecisse Pontificis authoritatem videretur, misit ad Clementem Papam clarissimos doctissimosquè viros de coniugij controuersia publicè disceptaturos. Inter quos tum erat Thomas Cranmerus pietate, virtute, ac doctrina venerandus pater, qui libellum de ea re conscriptum Papæ præsens obtulit. Morabatur etiam tum Papa Bononiæ, quæ suæ ditionis erat Ciuitas, studiorumq; celebris (vt diximus) vniuersitas. Locus ipse, si Papa voluisset, ad inquirendam illius quæstionis veritatem erat percommodus, sed ita Cæsarem cuius res iam essent fœcundiores pertimuit, vt Regis legatis blandè tractatis ac permulsis, tum Cranmero suo generali in Anglia, Scotia, & Hibernia pœnitentiario creato diceret, se de ea re cum Romam redijsset deliberaturũ, nec passurum vt publicè disceptaretur. Hæc frustratio Regem non minus a Romana ecclesia, quàm ab his quibus inuolutus erat illicitis nuptijs toto animo abhorrere fecit. Iã enim liquidò certoq; cognouit quantis esset sordibus inquinata, tum in Volsæo Cardinali veram eius profanæ ac impuræ ecclesię imaginẽ Idæamque perspexit. Itaque cum animi inuicti & excelsi magnitudine cæteris principibus præstitisset, Romanæ adeo sordidæ Curiæ dominationem & libidinem, quæ ipsum in tam diuturnum stuprum adumbrata contra ius diuinum dispensatione induxerat,

Thomas Crãmerus postea Cant. Arch.

Pontificia potestas extermita Anglia.

erat, perferre amplius atque tollerare noluit. Et cum de Romani pontificis authoritate non minus quàm ſuis ante nuptijs indagaret, comperit non ei magis in hoc Regno ius eſſe quàm cuicunq; alteri externo Epiſcopo. Prudenter ſanè atque moderatè Rex, quanquam enim eum ſuo regno excluſit, cæteris tamen regibus non prçiudicauit, quin quamcunque vellent permittere illi poteſtatem poterant. Duobus igitur, quibus iniuſtè irretitus tenebatur vinculis vnum Thori, alterum papalis nexus ſe ſimul exemit atque liberauit. Cuius quidem tantæ noſtræ fœlicitatis, ſuæq; calamitatis author, ſuaſor, & impulſor fuit ipſe pontifex, dum ambitioni, Cæſari frangendo atq; minuendo, Gallicaniſq; partibus tanta ſedulitate ſe dediſſet, tum in re tam ſeria inuictiſſimum prudentiſſimumq; Regem tam vafrè perfideq; tractaſſet. Iam verò cum tu huius diuini in nos, Sandere, beneficij cauſam Annæ Bollenæ tribuis, etſi id ſolito tuo maledicendi conuitiandiquè more facias, tamen illuſtri Reginæ ad æternam tam præclaræ, rei geſtæ memoriam nihil glorioſius cõmemorari poteſt, vt ſi ea quæ vos tenet, nos etiam cœcaret ſuperſtitio, eam inter ſanctos relatã ac in cœlo collocatã adoraremus. Sed etſi cum Deo atque Angelis in cœlis æuum agat, illum tamẽ adorationis cultum nulli niſi Deo concedimus. Atq; de iſtis nuptijs dirimendis toto quinquẽnij luſtro actum eſt, anteq̃ Anna Bollena Regi nupta eſſet. Quid enim, cum communi omnium Theologorum conſpiratione & conſenſu damnatæ eſſent illç cum Catharina nuptiæ, tũ eas diplomate diſſoluiſſet Pontifex, Regiq; alias ſibi conciliare nuptias licere

D. Anna Bollena quam rex poſtea duxit nullam dedit a D. Catharina diuertendi cauſam.

decreuiſſet, etſi diploma illud cremari iuſſit, legationemq; reuocauit, an Rex in re tam clara perſpicuaq; herere amplius atque dubius eſſe debuiſſet? Atque ſanè Romani Pontificis dum tam inconſtans, ſibiq; dum ex Cæſaris rebus ſæcundis vel aduerſis pendebat, contrarius fuit, etſi authoritas non valuit, conſenſus tamen ita valuit, vt Regi ad exigendam ſuam authoritatem, legitimaſq; cum præclariſſima coniuge Anna Bollena contrahendas nuptias ſatis iuſta cauſa fuit. Galli enim affinitatem reſpuit, quia hoc diuortio fœdera cum Cæſare non rupta ſed retenta ſunt. Quid tum Pontifex? Cum Regem nec a Cæſaris amicitia, nec ad affinitatem cum Gallo ineundam adducere potuit, gratiſſimum tam Cæſari quàm Gallo ſe facturum exiſtimauit, ſi Regis diuortio impedimento eſſet, mutauitq; ſententiam non religione, ſed Cæſari atque Gallo pariter obſequendi voluntate atque ſtudio, vir planè δίψυχος & inconſtans in omnibus vijs ſuis.

### Rationes quibus recentiores Pontificij licitas eſſe cum fratria nuptias aſſerunt.

23 AC primùm cum Academiarum prædictas ſententias typis diuulgatas acceperat, vir in Theologia fingenda ſiue deprauanda, authoritate Pontificia fretus, oppoſuit ſuos leguleios atque Theologomachos vt Academiarũ cenſuras acumine ſuo refellerent. Ita inſtituta inter homines doctos grauis de hac quæſtione cõtrouerſia. An Leuiri cũ fratria coniunctio Iure diuino ita eſſet interdicta, vt nullo priuilegio permitti atque tollerari poſſit. De qua quidem

dem quæstione ne ex tuis Sandere, conuitijs nascantur nouæ calumniæ, operæpretium erit hoc in loco veterum atque recentium tam Theologorũ quàm Iurisperitorum (quas Academiæ sequutæ sunt) sententias explicare. Vt Romanum illum fastum & ecclesiasticis rebus vbiq; imperandi cupiditatem non alio magis vitio quàm propria nequitia corruisse cognoscamus. Moses ille diuinus Hæbræorum dux & legislator, hanc legem a deo acceptam antiquitus edixit suo populo. *Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui est.* Ex quo diuini hominis oraculo, qui nihil nisi quod a Deo in mandatis habuit in legislatione statuit, constat hanc fratriam ducendi prohibitionem diuino esse Iure non humano tantũ sancitam. Quas etiam nuptias Imperatores, Valentinianus, Theodosius, Arcadius, Zeno & Anastasius per totam ditionem Romanam penitus interdixerũt. Tum priores pontifices Romani qui quò propiùs a prima institutione & integritate ecclesiæ abfuerunt, eò magis ambitionis & fucati nitoris expertes de rebus in quęstionẽ controuersiãq; deductis rectius decernebãt, nulla adhibita distinctione, aut conniuentia permissa eas reprobabant. Consiliaq; partim Oecumenica, partim prouincialia incœstas eas & nefarias appellabant, atq; Anathemate sanciebant si quis eas contraheret. Quibus etiam accedit patrum penè omnium orthodoxorum admirabilis conspiratio & consensus, e quibus nemo fuit qui eas iure diuino vetitas nuptias in Ecclesia Christiana tollerandas esse putauit, antequam illa dominandi, omniaq; iura labefactãdi libido Romanos nuper pontifices occupauit, iuraq;

C. de incestis & inutilibus nuptijs l. fratris vxorem l. licet quidam l. fuit.

raq; tam diuina quàm humana, nec ea solum quibus in ciuili societate mutuò, sed & ea quibus æterno verbi fœdere arctissimè deo colligamur relaxandi atque violandi consuetudo violauit. Quæ quidem omnia paucis expediam, pontificiasq; rationes quibus illi remitti a suo Monarcha hanc iuris diuini in non ducenda fratria necessitatem posse affirmant ita explicabo, vt ne a te Sandere, tam enucleatè ac distinctè (vt de te prædicas) scribente, accuratius tractari poterint. Primum itaque ab illis ordiar. Et vt Cicero cum Torquatum Epicurum philosophum defendentem refelleret, τας κυρίας ἀυτοῦ δόξας protulit, sic nihil eorum quæ a vestris Sandere adferebantur præter-

Lib. 2. de finibus bonorũ & malorum.

mittam. Ac primum quidem illud est quod ab eodem Mose de fratria ducenda ferebatur postea.

Deut. cap. 25. *Quando (inquit) habitauerint fratres simul, & vnus ex*
„ *eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nu-*
„ *bet alteri, sed accipiet eam frater eius, & suscitabit se-*
„ *men fratris sui, & primogenitum ex ea filium, nomine*
„ *illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel,*
„ *sin autem noluerit accipere vxorem fratris sui, quæ ei*
„ *lege debetur, perget mulier ad portam ciuitatis, & inter-*
Leuit. cap. 20. „ *pellabit maiores natu, dicet. &c. Quanquam igitur su-*
„ *pra his verbis decreuisset antea Moses. Qui duxerit vxo-*
„ *rem fratris sui rem facit illicitam, turpitudinem fratris*
„ *sui reuelauit, absque liberis erit. &c.* Tamen quia tanta inest contrarietas atque repugnantia in his duobus Mosis decretis, conciliatione est vtendum, vt vno eodemq; sensu sacrosanctæ scripturæ semper conueniant. Proinde legum a Deo per Mosen latarum

Legum Mosaicarum distinctio.

hæc

hæc adhibenda distinctio est. Quòd earum quædam morales fuerunt, quædam iudiciales, quædam ceremoniales. Morales illæ sunt quæ ea iubent atque prohibent, quæ naturalis hominum ratio lumine verbi dei illustrata facienda vel fugienda, etiamsi lege nulla statuerentur, decerneret. Itaque inter morales atque naturales leges nulla est differentia. Iudiciales illæ leges sunt quibus iudiciorum ordo in Iure publicè priuatimq; reddendo, pœnasq; atque præmia decernendo describitur. Ceremoniales quæ de externis diuini cultus Ritibus atque Ceremonijs, a quibus nomen acceperunt, pręcipiuntur. Ex his itaque tribus Mosaicarum legum generibus, duo Iesu Christi domini nostri aduentu qui legem totam compleuit & absoluit, sublata sunt. Ceremoniales nempè atque Iudiciales. Morales verò quibus Christianorum vita ad virtutem veramquè religionem instituenda est, retinentur. Iam verò quæ de cognationis atque affinitatis gradibus matrimonio non iungendis a Mose traduntur, præter primum parentum liberorumquè gradum naturalia non fuisse iura, sed tantùm iudicialia & a Christo abrogata perspicuum est, quia prima commixtio fratrum & sororum fuit, eaquè etiam aucta & in infinitum propagata per orbem sobole, quasi necessitate aliquandiu permissa nō cessauit, sed post diluuium a sanctissimo patriarcha Abrahamo qui Saram sororē suam duxit, inita & retenta est. Deinde vlteriores a Mose prohibiti gradus, sequētes patriarchas qui ea quę iuris naturalis fuerūt ante legē a Mose promulgatam religiosè obseruabāt,

Morales.

Iudiciales.

Ceremoniales.

Nuptialia Mosaica iura quibus rationibus asseruntur a recentioribus pontificijs ceremonialia.

ab his quas contrahebant nuptijs non deterrebant. Itaque Iacobus Abrahami ex Isaaco nepos, duas Labani patri sui filias Rahelem atque Leam sorores ambas tenuit vxores, tum Iudas Thamaram vxorem Er primogeniti sui eo mortuo tradidit Onæ secundo filio, eoquè perinde sublato viduam tertio suo filio Selæ nubendam in domo patris sui reseruauit. Quibus patrum exemplis videmus eas Mosis prohibitiones, cum a Iudicialibus non autem moralibus præceptis dimanarunt, non astringere Christianos nisi ab ecclesia, & Christi in terris vicario Monarcha scilicet Romano receptæ, & imperatę sint. Namq; in initio propter humani generis paucitatem, parentum tantũ liberorumq; coniunctio vetebatur, eo verò aucto vlteriores etiam gradus commisceri nuptijs a lege prohibebantur, sed cum gratiæ tempus a Christo ipso ęterno dei filio latum adesset, ab eoq; potestas omnia in ecclesia moderandi vicario facta esset, plures gradus papalibus interdictis quàm ab ipso Mose a coniugijs repelluntur, vt maiori continentiæ locus fiat. Ita tamẽ vt causa cognita relaxari ab ecclesia, Christiq; vicario possunt omnia Iura nuptias prohibentia, nisi a moralibus aut euangelicis præceptis proficiscantur. Illę autem legis prohibitiones etsi quibusdam videantur Euangelicæ, quoniam & Ioannes Baptista Herodem, quòd Herodiadem fratris sui Philippi coniugem duxerat, his verbis increpauit. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Et D. Paulus Apostolus Corinthum illum qui nouercam duxisset, stupri cõdemnauit atque excommunicauit, ideoq; quæ a Christi præcursore, & Gentium doctore in illis duabus tam affinitatibus q̃ cogna-

Gloss. in cap literas de restitut. spol verbo. diuina lege

Loci Euangelii de fratria, & D. Pauli de nouerca ducẽda in quem sensum a pontificiis torquẽtur.

1. Cor. 5.

cognationibus eodem gradu inter se distantibus rectè prohiberi censeantur, tamen intelligendum est ex Iosepho Iudaicarum rerum scriptore, & Eusebio Ecclesiastico Historiographo Philippum Herodiadis maritum & Herodis fratrem, tum cum Ioannes Herodem redarguit viuum, ac Herodiadem ab eo vi abstractã, & ad Herodem ductam fuisse. Ideoq; a Iohanne reprehensus est nõ tam quòd fratriam, q̃ quòd alienam vxorem adulterio tenuisset. Et Apostolus Corinthũ illum quòd patris etiam viui vxorem consuetudine teneret tanta pœna affecit. Id ex eo apparet quia tale stuprum inter Corinthios audiri scribit, quale ne inter gentes quidẽ nominetur, at verò apud Persas aliasq; gentes in vsu fuit patribus mortuis nouercas ducere. Ac nẽ inter Iudæos quidem id nouum fuit, vt patribus mortuis eorum vxores filij expeterent. Cum Adonias Abisaac cuius consuetudine Dauid Rex vsus esset, in vxorem a Salomone petebat. Cui Salomon non quòd rem iniustam postulabat, sed ob affectatum ea calliditate regnum, mortem minatus est. Proinde illud Corinthi flagitium de filio viui patris vxorem habente intelligendum est. Cum igitur tam Herodis quàm Corinthi nuptiæ nõ affinitatis sed aperti adulterij causa reprobatæ sunt, quòd ille fratris, hic patris viui coniuges coniugij specie accepissent, palam est Mosis prohibitiones in illis noui testamenti locis nõ esse repetitas, vt earum obseruandarum necessitas ita deuinciat Christianos, quin ab his Romano Pontifice indulgente atque permittente liceat quandoq; recedere. Præterea eadem affinitatis distantia nuptias in duabus sororibus non facit illicitas. Scriptum enim

Leuit. 18. est in eodem loco. *Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius adhuc illa viuente.* Si igitur Moses permisit (non enim prohibuit) vt soror in mortuæ sororis locum succedere possit in coniugio, cur non id in fratribus perinde iure naturali æquum censendum est, vt fratrias suas relictas ducerent. Cum enim æquale sit vinculum affinitatis, & par est ratio verecundiæ atque turpitudinis, nec moralis (vt aiunt) turpitudo, sed authoritas Legislatoris causa est, vt in fœminis id permittatur, quod in viris est prohibitum. Iam verò si vno casu Leuiri atque fratriæ copulatio, nempe vt frater fratri mortuo hæredem gigneret, honesta & a Mose iiuncta fuit, cur non ob alias causas a Papa comprobatas æquè honesta & Iuri naturali consona non existimabitur. Translato enim sacerdotio transfertur & Lex. Et cum Sacerdotij culmen in Papam deriuatum sit, & legis etiam in eo erit potestas, vt ob quamcunq; causam ille ratas habuerit eiusmodi nuptias ratæ firmæquè permanebunt. Atque aliæ causæ multò iustiores ac maiores commemorari possunt quare ferendæ essent eiusmodi nuptiæ, quàm ob suscitandam fratri mortuo prolem. Nam si inesset in familiæ vnius necessitudine atque iure tantum boni, vt eius causa Moses id in specie permitteret, quod in genere prohibuisset, cur non ob totius orbis Christiani bonum, vt Reges affinitatem necessitudine inter se deuinciret, Papa cui totus populus Christianus commissus est, permittere Regibus eas nuptias non possit, quibus gentium

tium finitimarum querelæ ſopiuntur, bella ſedantur, commercia frequentantur, & tranquillitas conſeruatur. Quod ſi vt permulti contendunt ea de Leuiri fratriæq; nuptijs ſanctio moralis eſſet atque naturalis Iuris, Papa tamen ſumma ſua qua omnibus eminet authoritate diſpenſatione licitum id facere poſſit quod aliàs eſſet illicitum. Quoties enim occurrunt caſus particulares in quibus diuinæ Legis ratio deficit, Papa poteſt diſpenſare. Nam ſi non poſſit, non videretur Deus bonus eſſe paterfamilias, niſi dimiſiſſet paſtorem ſuper ſuum gregem, qui poſſit conſulere omnibus quæ occurrunt atque expedienda ſunt. Quod quidem de omnibus ſecundæ tabulæ præceptis, veteriſquè atque noui Teſtamenti ſanctionibus intelligendum eſt, præterquàm in articulis fidei. Itaque nequè furtum, nequè homicidium, nequè adulterium, nequè quicquid egeris aut concupiueris eo permittente peccatum eſt. In humanis autem conſtitutionibus, aut totius Eccleſiæ, aut Conſiliorum quam poteſtatem habeat Papa, cum tantum in diuino Iure diſpenſando poſſit, dubium eſſe poteſt nemini. Omnium enim Iurium tam diuinorum quàm humanorum moderatio ita ei commiſſa eſt, vt quanquam ea tota tollere aut abrogare non poſſit, remittere tamen atque relaxare cuicunque & quotieſcunque poſſit. Vt enim in Medicina periti ea quæ ſunt corpori pernitioſa atque venena, ideoquè vetita & interdicta interdum tamen efficiunt ægris ſalutaria: ſic Papa tanquam animarum medicus cum concedit ea quæ Iure diuino vel humano prohibentur, efficit vt ea non

Summa Angelica,

Aquinas.

Vincentius.

Angelus.

modò non obſint, ſed magnopere proſint Chriſtianis animis. In hoc autem præſenti negotio vt in gradibus diuina lege prohibitis diſpenſare poſſit, res quidem exemplis non eget. Nam & Martinus Papa, cum quidam ſororem matrimonio ſibi copulaſſet, eamq; thori conſuetudine diu tenuiſſet, habito cum Theologis atque Iuriſperitis conſilio, etſi contra Ius diuinum fuiſſet, tamen matrimonium nō diſſoluit, ſed ob maioris mali alioquin ſecuturi vitationem id priuilegio ratum fecit, de quo quidem matrimonio, quoniam contractum, conſummatum, & authoritate Papæ ratū fuiſſet, Antonius Florentinus Archiepiſcopus ita ſcripſit. *Quoniam diſpenſationem obtinuit remanendi cum ea, committendum eſt negotium Iudicio Dei, neque condemnandum.* Multaq; alia a gloſſographis & interpretibus proferuntur exempla, quibus lege diuina prohibitos, copulari tamen iungiquè matrimonio permiſit. Cum igitur illæ Moſis prohibitiones non natura atque verecundia ad mores humanos religione formandos, ſed ſtatuentis legemq; condentis voluntate ad obſeruantiam & obedientiam tantùm promulgatæ ſunt, Chriſtianam non coercent libertatem niſi eatenus quatenus ab Eccleſia ſunt receptæ & approbatæ, & quamuis maximè ad mores Chriſtianorum ſpectarent, tamen ea eſt authoritas Papæ vt ex cauſa remittere eas quandoquè poſſit, perſpicuum eſt Henrici Regis Angliæ cum Catharina fratris ſui relicta coniugium, quod a Iulio Papa priuilegio corroboratum eſt, vt ſummæ neceſſitudinis paciſq; diuturnæ fœdera non modò inter Reges, ſed etiam gentes clariſſimas conciliaret, non modò non dirimen-

Antonius Florentinus Archiepiſcopus.

dirimendum ſed colendũ,& Iure tam humano quàm diuino legitimũ ac honorificum exiſtimandum eſſe.

Rationes contrariæ,in quibus oſtenſum eſt priores pontificios, iuraquè pontificia eas nuptias damnaſſe.

HÆc iam Sandere fuit tota pontificiorum in his nuptijs, quas ipſi nefariè primò conciliabãt, deinde perfidè perturbabant,tuendis defenſio: quam à me tam paucis expoſitam atque comprehẽſam vides, vt niſi in eius fuco detegendo diligẽtius elaborarem, verear ne non tam veſtris quàm noſtris iuſtiſſimæ veriſſimęq; cauſæ preuaricator eſſe videar. Neque verò hic eſt proprius de pontificis authoritate differendi loc°, neq; ſi eſſet, qui breuis eſſe ſtudeo, in eo multus eſſe potuiſſem. Agam itaq; tantùm de ea diſpenſandi poteſtate,quam neq; iure diuino exercere poteſt, neque cum ea maximè vſus eſt,in his tamen iure diuino vetitis coniugijs,antequam de Hẽrici Regis cum Catharina nuptijs controuerſia eſſet,licere ſibi aut ipſe arrogauit,aut Canoniſtæ qui eum alioquin Deum faciunt vnquam conceſſerunt. Primùm igitur prohibitionẽs illas Moſaicas ad ius naturale diuinum referẽdas eſſe docebimus, deinde contraria loca de ſuſcitãda ex fratria prole diſſoluemus, ex quibus neceſſariò inferemus ne pontificijs quidem iuribus licuiſſe Papę Chriſtianis eas remittere. Cum itaque ea moralia ſiue naturalia legis veteris præcepta dicantur,quæ ſine iudiciorum atque ceremoniarum præſcriptarum neceſſitate vitæ degendæ honeſtatem atque religionem continebant, perſpicuum eſt ea quę a Moſe de affinitatum cognationumq; in nuptijs contrahendis ſiue

24

Moſaicæ prohibitiones ſũt iuris naturalis ac diuini.

prohibendis differentijs traduntur, eius esse generis. Nam cum neque iudicijs ordinem, neq; sacris formã dant, necessariò sequitur vt in moribus tota consistãt.

Honestum & turpe in moribus.

In moribus enim extrema duo sunt, quorum vnum sequimur, alterum declinamus. Honestas & turpitudo quę a gręcis philosophis καλον καὶ αἰσχρον dicũtur. Itaque si obseruationum Mosaicarum religiosa piaquè obseruatio honestatem, violatio autem vitę morumq; turpitudinem indicat, earum præceptio tota moralis atque naturalis dicenda est. Atque hoc quidem quod in eis frangendis turpitudo, ac in sequendis honestas coniugij consistat, ex ipso Mose locupletissimo authore, legislatore, atq; teste, immo ex ipsius dei voce Sandere, assumo. Cum enim de sacrosancto atq; honorabili inter omnes cõiugio prẽcepta populo daret, sic

Ex. 18.

exorsus est. *Et loquutus est Dominus ad Mosen dicens, loquere ad filios Israel, & dices ad eos. Ego Dominus Deus* » *vester, iuxta opera terræ Ægypti in qua habitastis non facietis, atque iuxta opera terræ Canaan in quam ego vos introduco non facietis, neque in legitimis eorum ambulabitis.* Ita duarum gentium instituta atque consuetudines in vxoribus propinquis ducẽdis, Ægypti scilicet ex qua migrabant, & Canaan in quam tendebant vetuit Israelitis. Quid tum? Enumeratis scilicet singulis illiciti coitus coniugijq; generibus, inter quæ leuiri cum fratria coniunctio recitatur, addit ad extremum. *Non polluemini in singulis istis in quibus omnibus gentes contaminantur, quas ego emitto e facie vestra.* Animaduerte itaq; Sandere, quibus vocibus dominus deus has nefarias coniunctiones insectatur. Abhominationes, pollutiones, contaminationes, turpitudines nuncupat. Non

iudiciorum

iudiciorum quidem aut ſacrorum, vitæ igitur atq; morum. Nam ſi in coniugio his impuris Aegyptiorum atque Cananitarum moribus profanando apparuit turpitudo, in eo ex dei inſtituto colendo vitæ honeſtas & integritas elucebit. Atq; ſanè tam grauis hęc gẽtium turpitudo, & nuptiarum profanatio deo viſa eſt, vt eandem pœnam quam gentes pertulerũt, populo etiam ſuo, ſi deliquerit, minatus ſit. *Et nonne* (inquit) *terra euomet etiam vos ſi polluueritis eam, ſicut euomuit gẽtem quæ fuit ante vos.* Nec mihi iam Sandere dixerit pontificius aliquis. Ægyptij atq; Cananitæ omni luxuriæ libidinisq; genere diffluebant, nec in vno tãtùm flagitio, ſed in fœditate nefanda atq; in omnibus illis ſceleribus volutabant. Hic vna tantũ prohibitio, eaq; ſumma de cauſa non ſeruata eſt. *Nam qui in vno deliquit, Iacobo teſte, factus eſt omnium reus.* Quid autẽ Moſes? *Quicunque* (inquit) *fecerit aliquid ex cunctis iſtis abhominationibus, ſuccidentur animæ ſic facientes, de medio populi ſui. Obſeruabitis igitur cuſtodiam meam, ne faciatis vel vnam ex ſtatutis illis abhominabilibus, quæ facta ſunt ante vos, & non polluamini in eis, ego Dominus Deus veſter.* Exæcratur igitur Deus, ſine diſcrimine omnes qui vel in vnam tantùm prohibitionem commiſerint, & tam eum qui fratriam, quàm qui ſororem duxerit. Cur ita quæſo? Quia turpitudo eſt, qua non in Ceremonijs aut iudicijs peragendis, ſed in moribus vitaquè peccatur. Quod etſi ædito per Moſen ab ipſo Domino oraculo liquidiſſimè conſtet hanc matrimonij legem moralis atque naturalis pręcepti vim habere, tamen quia vos, Sandere, in Iacob. 3.

Patres Orthodoxi & iuris Pontificii Cæsareiq; doctores, Mosis prohibitiones ad ius diuinum naturale referũt.

scripturis sacris, & voce diuina acquiescere non soletis, sed in alios cuiuscunq; generis scriptores excurritis, ego etiam in hac re expatiabor, si voles vnà tecũ, & summo non modò patrum sed Iuris tam pontificij quàm Cæsarej peritorum, ipsorumq; glossographorum atque Leguleiorum consensu (vt de fece tui libri aliquid hauriam) breuiter ostendam ea matrimonij colendi data præcepta moralia esse atque naturalia, nec a quoquam præterquam ab ipso deo commutabilia. Primus & antiquissimus pater Tertullianus docet has a Mose explicatas prohibitiones a Christianis religiosè obseruandas, nec aduentu Christi desijsse habere vim, his verbis inter alia multa quæ ad locum authoris breuitatis causa referimus. *Vt, inquit, redundare possit iustitia nostra super scribarum & Phariſæorũ iustitia vtiq; atque pudicitia.* Hunc antecedens Origines has graduum distinctiones in nuptiarum ritibus non esse a Christianis violãdas ostendit, quarum sanctiones adulterij pœnas nuncupat. Chrysostomus a fratria ducẽda adeo deterret Christianos, vt illam de muliere septẽ fratribus nupta, dicat esse fabulã, & cõfictam a Saduceis calumniam. Basilius eum qui vxoris mortuæ sororẽ duxerit, consuetudine ecclesię a communione arcendum scribit. Isichius copiosus Theologus Gregorij Nazianzeni Auditor, cum Mosis legislationem de affinitatum cognationumq; gradibus a Christianis seruandam probat. *Est (inquit) reuera incongruum & Iumentorum vitæ proximum vxoribus fratrum & eorum qui cognatione vicini nobis sunt coniugio permiscери.* Ambrosius ad paternum quendam qui ex vno filio neptem alteri filio nuptum dare vellet. *Ideo* (inquit)

Tertul. lib. 4. aduersus Martianum.

Origines in 20. cap. leuit.

Chrisostomus hom. 71. super 22. Math.

Basilius ad Diodorum.

Isichius super 18. & 20. leuit.

Ambrosius lib. 8. cap. 66.

(inquit) *hoc permissum putas, quia specialiter non est prohibitum. Nec illud prohibitum sermone legis reperies, ne pater filiam suam accipiat vxorẽ. Nunquid ideo licet quia non est prohibitum? Minimè. Ego enim prohibitum assero. Quia cum leuiora interdicta sunt de fratribus patruelibus, multò magis hoc quod arctioris est plenum necessitudinis, interdictum arbitror. Qui enim leuiora astringit, grauiora non soluit, sed alligat. Interdicta sunt enim naturæ iure, interdicta sunt lege quæ est in cordibus singulorum, interdicta sunt inuiolabili præscriptione pietatis, titulo necessitudinis.* Augustinus docet ea quæ a Mose circa coniugia in Leuitico prohibentur, a Christianis remota veterum vmbrarum obseruatione custodienda. *Quæcunq; enim* (inquit) *ad pietatem bonosquè mores pertinent, sicut ad nullam significationem sunt instituta, ita nulla interpretatione ad vllam significationem sunt referenda, sed prorsus vt dicta sunt ita Christianis quoque necessariò sunt facienda.* Et alibi. *Quanquam* (inquit) *olim viri suas sorores coniuges acceperunt, illud tamen quantò est antiquius compellente necessitate: tantò postea factum est damnabilius prohibente religione. Fieri enim tunc debuit, quando potuit, vt existente copia, inde ducerentur vxores quæ iam non erant sorores, vt non solùm illud non fieret, vbi nulla necessitas esset, verumetiam si fieret, nephas esset. Quia nescio quomodo ineſt humanæ verecundiæ quiddam naturale & laudabile, vt cui propinquitatis causa reuerendum & verecundum honorem debemus, ab ea quamuis generatricem tamen libidinem contineamus, de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiã coniugalem.* Hieronimus etiam cum de Abrahami Sarę́; cõiugio disserit in superiorũ patrũ est sententia, vt illę

Augustſuper leuit. q. 64 & in speculo.

Ad Bonifa. lib. 3. cap. 4.

Lib. 15. de ciuitate Dei.

Hieronimus contra Heluidium.

Mosis ꝓhibitiones naturali Iuri tribuantur, & a Christianis inuiolabiles teneantur. His etiã patribus priores Romani Pontifices cõsentiũt, qui dispẽsandi pote statẽ ignorabãt, nempe Gregorius magnus, Calixtus, Zacharias, Innocentius, Lucius, atq; Clemens, quorũ scripta etsi facillimè proferre possumus, tamen ne hic προλεγομένων cõtra tua Sandere conuitia cõmentariolus modũ superet, cum superiorũ patrũ tam perspicua sit in hac re sententia, commemorasse cum illis vnà sufficit istos. Consiliaq;, Toletanũ, Agathense, atque Neocæsariense decreuerunt, vt Anathema sit qui has prohibitiones violauerit. In Cõstantiensi etiam consilio, quod haud ita præterea multa salubriter statuit, damnata est opinio existimantium huiusmodi coniugiorum prohibitiones non nisi Iudicialia Mosis præcepta fuisse. Quæ sanè Patrum, Pontificum, Conciliorumq; tot sæculis a Tertulliano & Origine ducta, semperq; retenta conspiratio, præsertim cum primò nascentis teneræq; Ecclesiæ consuetudine obseruatas sine vllo edicto aut decreto eas prohibitiones testetur Tertullianus, seiungit ab hoc quod volumus omnem controuersiam. Non licere Iure diuino Leuiro ducere fratriã. Accedit istis, si hoc loco adiungere liberet, infinita alia quasi minorũ Theologorum caterua, quibus in hoc compendio ne enumerandis quidẽ vacare possumus. Atque sanè vt hũc magnũ copiosumq; locum paucis complectamur, suadet ipsa ratio affinitatis veneratione nouercas vt matres, nurus vt filias, fratrias vt sorores esse colendas, ideoq; ab ipsarum nuptijs verecundia cogit homines abstinere. Nã quæ fratri nupta sit, effecta est vna cum eo caro, ideoq; si alter

Concilia.

Naturalis ratio vetat coniunctionem Leuiri cum fratria.

alter eam ducat frater, fratris ſui aſſumit ſibi carnem, quo nihil poteſt cogitari tetrius, niſi patris carnem ſuę quis coniungeret. Ex quibus etſi breuiter tamẽ apertè explicatis apparet eas Moſis prohibitiones a Iure diuino naturali ſumptas, ac proinde in Euangeliũ tranſlatas, atque a Chriſtianis piè atque religioſè obſeruãdas, nequè a quoq̃ prætercq̃ a Deo relaxandas eſſe. Nunc ea quæ de ſuſcitanda ex fratria defuncto fratri ſobole, & de ſorore vxoris, vxore viuente non ducenda cõtra hanc ſententiam dicuntur, paucis etiam expediamus. Atque illud excitandę prolis argumentum grauiſſimi patris Tertulliani reſponſo diluitur. Is enim cum in Eccleſiæ vſu iam ſuo tempore fuiſſe Moſis de coniugijs iura docet, oſtendit illud de ſuſcitãda prole præceptum, quod infamiæ magis quàm neceſſitatis fuit, non modò propagato Euangelio cum ceremonijs & eiuſmodi vmbris euanuiſſe, ſed ab ipſis Iudæis exerceri amplius deſijſſe. *Quia* (inquit) *ſterilitas Hebræis ignominioſa fuit, ideo illis ex ſuo genere vicaria, & quaſi poſthuma ſoboles ſupparabatur. Nunc autẽ quoniam ſteriles non modò ignominia caruerunt, verùm & gratiam meruerunt inuitati in regna cœlorum, ſepulta lege ſuccedendi in matrimonium fratris, contrarium eius obtinuit non ſuccedendi in matrimonium fratris. Et ita quod ceſſauit valere ceſſante ratione, non poteſt alij argumentationẽ accõmodare.* Ille verò inuolutus a Pontificijs nuper de ſorore vxoris viuentis nõ ducenda nodus haud adeo eſt vt ipſi iactitant inexplicabilis, quin facilis ad eum ſit & expedita reſponſio. Scribitur inquiunt in Leuitico. *Sororem vxoris tuæ adhuc viuentis in amoris æmulationẽ non accipies, vt reueles turpitudinẽ illius ſuper illam.*

Solutio obiectionis de ſuſcitanda ex fratria ſobole.

In loco prædicto.

Exorta est hinc nuper nouæ doctrinæ schola, quæ cũ Pontificiam in dispensando potestatẽ nulla religione teneri aut circumscribi vellent, permissam esse aiunt, vxoris mortuæ sororem ducere. Ex quo etiam non modò id quod de ducenda fratria a Mose prohibitum erat violare audent, verumetiam cum verecundiæ fines semel superassent, adeo gnauiter impudentes fuerunt, vt nullũ consanguinitatis aut affinitatis gradum præter solum parentum atque liberorum Iure diuino impedimento esse nuptijs statuant. Sed receptas ab Ecclesia dicunt eas prohibitiones, vt a Christianis obseruentur, nisi Papa dispensat. Hanc scholam Thomas de Vio Caietanus, Romanus Cardinalis primus aperuit, qui cum omnium penè sententijs ita restringi Papæ potestatẽ animaduerteret, vt contra Ius diuinũ priuilegia dare non possit, ausus est dicere iure diuino naturali nullis nobis interdici nuptijs, præterquàm in parentum liberorumq; gradibus, ideoq; Mosis prohibitiones non magis valere quàm Ecclesiæ constitutiones atque Consiliorum decreta, a quibus Papalia priuilegia præstant immunitatem. Idemq; ad Henricum octauũ Regẽ de sui cũ Catharina matrimonij iure scripsit, nititurq; duobus istis solis fundamentis, eas prohibitiones iudicialis ac ritualis esse, non autem moralis legis partes (quę opinio patrũ Consiliorumq; (vt demõstrauimus) testimonio explosa est) vt cũ sororibus permissum sit sororũ mortuarũ maritis nubere, eadẽ ratione & fratribus licere mortuorũ fratrũ vxores ducere. Quod paucis impugnabimꝰ, deinde quod polliciti sumus, ne suis quidẽ legibus potuisse papam indulgere contra Mosis prohibitiones priuilegia docebimus.

Thomas de Vio Caietanus Card. omniũ prohibitionũ relaxationem permisit Papæ.

Caietanus ad Henricum Regem scripsit.

cebimus. Ac primùm illa pontificiorũ in sacrosanctis scripturis violandis licentia, ne dicam audacia, immo vero impudentia potentis alicuius authoritate cõpescenda fuit. Quo enim ore auderet Caietanus argumento a Pari, vt dialectici volũt ducto, id euincere quod disertis Mosis verbis tam manifeste repugnat. Edicit Moses non esse a leuiro ducendam fratriam, immo inquit Caietanus, cur hæ nuptię prohibitæ magis sunt quàm si quis vxoris mortuæ sororem ducat, æqualis enim est in vtraq; affinitatis distantia. Quid hoc aliud est quàm a deo legislationis suæ rationem arroganter exquirere? & ad humanam rationem diuinas sanctiones redigere? Et tamen quàm infirma sit illius Cardinalis ratio, si in dialecticorum scholis disputationem subiret, facile sentiret. Nam si legitimas esse cum fratria nuptias ideo contenderet, quia sunt cum vxoris mortuę sorore permissę, retorto in se mox eodem argumento causa prorsus caderet. Exoriretur e dialecticorum grege acutus aliquis & subtilis Sophista, qui Caietanum reiecto in se argumẽto obtũderet.

Caietani argumentum quàm infirmũ ac in se flexibile.

In quibus cognationis aut affinitatis gradibus æqualis atque par est distantia, in his eodem iure prohibentur aut permittuntur nuptiæ.

In fratria verò atq; coniugis sorore eadẽ est distãtia.

Igitur & idem ius nuptiarum.

At fratriam non licet iure diuino ducere, præsertim cum Deus per Mosen statueret. *Non reuelabis turpitudinem vxoris fratris tui.*

Proinde nec vxoris mortuæ sororem ducere licet. Obmutesceret sanè hac ratiocinatione victꝰ Caietanus illius magnæ ad dilatandam pontificiam potesta-

tem ſcholæ magiſter, cum id quod tam callidè & artificioſè excogitauit argumentum contra ſuam intentionem maximè valere cerneret. Sed vt omiſſis argutijs, in re ſeria agamus ſeriò, nec vt pontificij ſolent cum diuino numine ludamus, planè negamus in lege ſcriptum vt quis vxoris mortuæ ſororem ducat. Nam quod in ſcripto tacitum infertur a Caietano quaſi permiſſum, ſolum ad legiſlatoris pronuntiationem refertur, qui Iacobi Patriarchæ exemplum pernitioſum ſuo populo exiſtimauit, ideoq; in πολυγαμία vetuit duas ſorores ambas tenere coniugio, nec tamen in μετογαμία ſucceſſionem ſororum permittere dicendus eſt, quia non apertè interdixit, non magis quàm vt pater & filius eodem ſcorto vtantur, quod etſi lege non prohibitum, a propheta tamen grauiter reprehenſum eſt dicente. *Ecce pater & filius ad eandem mulierculam ingrediuntur*. Neque enim diuina decreta plebis aut populi ſcitis, aut prætorum magiſtratuumq; in Iure edictis, aut ipſorum principum in monarchia placitis ſunt comparanda. In quibus eiuſmodi finguntur a leguleis Iuris regulæ. Permiſſum eſſe id quod non ſit apertè prohibitum, quæ tamen ab ipſis Iuriſperitis tam incertæ exiſtimantur, vt omnes in iure definitiones periculoſas eſſe affirment, quia plerumq; inſtantijs euertuntur. Verùm quoties occurrunt nobis illa diuinitus tradita præcepta, abijciendæ vires ingenij, moderatio omnis humilitaſq; ſuſcipienda eſt, mentisq; acies non in nos, ſed in ipſum Dominum reflectenda, nec quò ratio excurrit, ſed quò verbum ducit eundum, ibiquè ſiſtendum. Regularum quibus Iuriſperiti

Solutio obiectionis de ducenda ſorore vxoris mortuæ.

L. 1. de § Reg. iuris.

periti vtuntur ſpatia, & cancelli ceſſant, addendum nihil, ac tantundem detrahendum. Hoc ſi Caietano Cardinali ſuaſum ex ſcripturis eſſet, non adeò amplificandæ pontificiæ poteſtati operam dediſſet, vt ad humani iudicij normam diuina exegiſſet. Agè verò euerſis illius recentis atque impiæ ſcholæ fundamentis, quæ Papa permittente, fratres cum ſororibus permiſceri poſſe docet, reliquum eſt vt ipſo iure pontificio eiuſquè doctoribus & interpretibus nullam dari Papæ facultatem in Moſaicis gradibus diſpenſandi oſtendamus. Et primùm Thomas Aquinas, quem nemo in Pontificia Theologia acumine aut vbertate ſuperauit. *Infideles* (inquit) *non baptizati, non ſunt aſtricti ſtatutis eccleſiæ, ſed ſunt aſtricti ſtatutis iuris diuini, & ideo ſi contraherent aliqui infideles in gradibus contra diuinam legem prohibitis Leuitici. xviij. ſiue vterque, ſiue alter ad fidem conuertatur, non poſſunt in tali matrimonio permanere.* Idemquè alibi explicaturus de poteſtate Papæ. *Papa* (inquit) *habet plenitudinem poteſtatis in Eccleſia, vt ſcilicet quæcunque ſunt inſtituta per eccleſiam, vel per prælatos Eccleſiæ ſint diſpenſabilia a Papa. Circa ea verò quæ ſunt iuris diuini, vel iuris naturalis, diſpenſare non poteſt, quia iſta habent efficaciam ex inſtitutione diuina, & ſunt de eo quod eſt de neceſſitate ſalutis ſecundùm ſe. Et ſic in quolibet caſu obſeruari illa oportet, & ad illa omnes tenentur abſque diſpenſatione.* Hunc ſequutus Petrus Paludanus, Pontificiæ doctrinæ acerrimus defenſor atq; propugnator. *Nec etiã* (inquit) *poſſet diſpẽſare Papa in vxore fratris mortua ſine liberis, quia licet olim liceret,*

Thomas Aquinas.

In 3. parte q. 59 art 3. & in quod. l. 4 art. 13. & in 4. diſt. 15. q. 3. art.

Petrus Paludanus in 4. diſt. 41. q. 1. art. 5.

tamen dispensatione licebat, quæ dispensatio fiebat iure diuino nõ ab homine. Nam iure diuino communiter abstinebatur ab vxore fratris, sicut a sorore, sed in casu illo, ad suscitandum fratri sine prole defuncto semen, permittebatur. Vnde sicut Papa non potest dispensare in pluralitate Vxorũ quamuis esset olim licita, quia licitè erat ex Dei dispensatione, prohibita iure communi, sic nec in proposito. Cum his etiam duo magni & copiosi in pontificio iure doctores consentiunt. Iohannes de Turre Cremata Romanus sancti Sixti Cardinalis, & Antoninus Archiepiscopus Florentinus, quem, vt ante diximus, insimulant pontificij Martini papæ factum, qui fratris cum sorore coniugium dispensatione ratum fecit, comprobasse. *Omnes* (inquiunt) *gradus consanguinitatis & affinitatis diuina lege prohibiti procedunt ex dictamine naturalis rationis, & proinde præcepta illa tempore gratiæ non sunt enacuata, nec a Papa dispẽsabilia.* Et Antoninus etiam alibi. *Prohibitione* (inquit) *Iuris diuini prohibentur plures personæ simul naturali fœdere commorantes, & sunt duodecim quæ Leuit. 18. numerantur, in quibus solus Deus dispensare potest, vel cui inspirarit. Papa autem in his solis quæ sunt Iuris positiui.* Alexander de Hales horum ætati finitimus, ex eorum sententijs refellit quorundam opiniones qui diuinum ius relaxari a Papa posse asseuerabant. Idemq; narrat Regem olim Franciæ, atque Comitem de Arminach Eugenio atque Pio Romanis Pontificibus supplices fuisse, vt diuinæ illius prohibitionis gratiam eis faceret, permitteretq; Regi Germanam, Comiti verò vxoris suæ defunctæ sororẽ ducere. Quorum preces cum Papa ad præfectos Audiétię sub Rota Curiæ Romanę retulisset, inter quos

Super cap. coniunctiones 35. q. 2. &. 3

Ant Arch. fl. in 3 parte summæ tit. de cog. nat. § 2.

tunc

tunc erat Iohannes de Turre cremata Cardinalis, postea S. Sixti, de quo Paulo antea diximus. Illi re diu perpensa & considerata, tandem pronunciarunt, Romanos Pontifices nõ potuisse in his gradibus dispensare, propterea quòd essent diuino Iure prohibiti. Deinde cum per obreptionem furtiua quædam quæ dicitur Bulla in Comitis gratiam a Gallicano quodam Episcopo prolata esset, Rotæ præfectorum ita præualuit sententia, vt & Bulla reuocata, & Episcopus qui eam protulisset dignitate Episcopali tanq̃ falsarius priuatus in æternas carcerum latebras iniectus sit. De quo Alexander de Hales ita scribit. *Quod si* (inquit) *in his gradibus aliquando fuit dispensatũ per aliquem summum pontificem, aut ignarum in literis diuinis, aut excæcatum cupiditate pecuniarum, quæ pro talibus exorbitantibus dispensationibus solent offerri, aut vt complacerent hominibus, non sequitur quod potuit iustè facere.* Atque hæc quidem de scholasticis Theologicis, strenuissimis sanè Romanæ Monarchiæ athletibus, quos magna alia sequitur scriptorũ caterua detrahens Papæ eam quam in Henrici octaui nuptijs vsurpauerat potestatem. Nunc de Iure Pontificio eiusq; doctoribus ad hanc rem definiendã pauca dicamus. Intelligendũ est autẽ Romanã Curiam quo augustior sua maiestas & amplitudo videretur, in prohibendis nuptijs præscriptis legis gradibus non fuisse contentam, sed vlteriores remotioresq; gradus ad eas prohibitiones adiecisse. Hinc illa nata distinctio est. Quidam gradus Iure diuino, quidam verò humano non sunt permissi nuptijs. Ac illæ quidẽ humanæ prohibitiones diuinis violãdis causam præstiterunt. Nam cũ illæ a papis sæpe

Romana curia dispensandi cupiditate auxit prohibitionum gradus.

gratia muneribuſq; remitterentur, euenit vt auaritia quæ in humanis iuribus diſſipandis modum non tenuit, tandē diuinis profanandis manus nefarias adferret. Vt multò melius in coniugiorum iure actum ſit, ſi non alij adiecti eſſent prohibendarum nuptiarum gradus q̃ qui ſumma & inuiolabili Religione a Chriſtianis ſeruarentur. Accidit enim Biturigibus Innocentio tertio Pontificē Romano, cum mulier quędam a viro temerè diuertiſſet, vt maritus eam coram Archidiacono Bituricenſi repeteret. Ea cum ad virum redire noluit coniugij vinculum frangere tentauit, dixitq; illicitas fuiſſe ſuas nuptias, quia in quarto gradu cognata fuiſſet viro. Vir tamen coniugij reſtitutionem ante omnia ſibi decerni acriter petebat. Archidiaconus Bituricenſis Innocentium Papā non modò in hoc gradu, ſed in cæteris propinquioribus cōſulit quid facto opus ſit. Ille cum diuini Iuris prohibitionibus, tanquam exiguis cancellis cōcludi noluit, reſcripſit illam quam Gregorius Iure Pontificio cum cæteris conſarcinauit decretalem Epiſtolam. In qua. *Reſcripto* (inquit) *petebas Apoſtolico edoceri, vtrū quando aliquis conſanguinitatis gradus obijcitur, in quo ſedes Apoſtolica diſpenſare non poteſt, nec etiam conſueuit, & probationes promptæ ſint & paratæ, indulgenda reſtitutio ſit an neganda. &c.* Ex illis itaque reſcripti verbis. *In quo ſedes Apoſtolica diſpenſare non poteſt, nec etiam conſueuit.* Queritur a Gloſſographis & Interpretibus quinam illi gradus ſunt. Gloſſa in verbo eiuſdem decretalis, *Diuina Lege*, apertè dicit eos eſſe gradus, qui in 18. cap. Leuit. commemorantur. Vnde treſdecim inquit perſonas diuina lege prohibitas habes his verſibus.

Caſus.

C. literas. de reſt. ſpoliat.

*Nata,*

*Nata, soror, neptis, matertera, fratris & vxor,* ,,
*Et patrui coniunx, mater, priuigna, nouerca* ,,
*Vxorisq; soror, priuigni nata, nurusq;* ,,
*Atque soror patris, coniungi lege vetantur.* ,,

In cuius sanè glossæ sententiam Panormitanus, Ioannes Andreas, Ioannes de Imola, Vincentius, Innocentius, atque Hostiensis cum reliquis plerisq; frequentes eunt. Itaq; illa verba Innocentij, *In quo sedes* ,, *Apostolica non potest*, rectè atq; propriè posita cum eadem glossa dicunt, cætera verò, *Nec etiam cõsuenit*, im- ,, propria nequè hic locum habere aiunt. Abbas verò Panormitanus cuius est in eo iure maxima grauissimaq; authoritas. *Præcepta* (inquit) *Leuitica sunt mo-* ,, *ralia atque negatiua, quæ obligant semper, & ad semper,* ,, *hoc est, omni tempore, & Papa non est supra hanc legem di-* ,, *uinam, immo tenetur eam vsq; ad sanguinem & animam,* ,, *& omni conatu defendere. Ideoq; ponderanda sunt verba* ,, *diuinæ legis, & si prohibetur iste secundus gradus lege diui-* ,, *na, certè non potest in eo dispensare Ecclesia. Quod notandũ* ,, *est* (inquit) *in practica, propter istos magnos Principes, qui* ,, *sæpè petunt dispensationes a Papa.* Hos deinde sequuti hi ,, qui interpretum & glossarum sententias in eas quas Angelus. summas vocant collegerunt, prædictam sententiam Siluester. de Papæ in remittendis legis prohibitionibus confirmarunt. Inter quos author qui eam breuem summam ædidit, quam Armillam auream vocant, cum superiorũ sententias repetijsset, easdemq; vno consensu constare dixisset, ac eas personas cum quibus Papa nõ potest dispensare, enumerasset. *Sed opinio* (inquit) *Caietani est quod Papa dispẽsare potest cũ omnibus personis* ,,

 ,,

„ *coniunctis nisi cum patre & filia, matre atque filio*, cui opinioni dicit sanctum Augustinũ suffragari libro xv. „ *De Ciuitate Dei*, vbi dicit. *Commixtio fratrum & soro-* „ *rum non natura sed religione facta est damnabilis. Et* „ *ideo* (inquit) *non audeo dicere Papam non posse dispensa-* „ *re, quia rationes Caietani quas facit, sunt fortes: & au-* „ *thoritas Papæ magna est*. O virum magnanimum & constantem quem a reliquorũ omnium partibus Caietanus solus deterruit. Sed cur id dicere non est ausus? An quia Caietani rationes de quibus supra diximus, adeo erant fortes? nequaq̃: nam nõ minus Caietani rationes, q̃ Papæ potentiam perhorruit, ideoq; id quod cum cæteris censuit, cum eis affirmare non est ausus. Itaq; in hoc tam degenere atq; timido veritatis nuncio authoribus citandis, Sandere, mod° esto. Atq; modus (inquis) nobis sanè nostręq; Monarchiæ nimius & immoderatus, inde enim ruit atq; concidit omnis Romana potẽtia. Quid enim an illa Curia quę Academias spreuit, scriptores omnes tam veteres q̃ recentes præ se contempsit, sanctissima coniugii iura violauit, in legem Dei audacissimè commisit, Regem Religione Christianę deditissimum in nefarias nuptias coniecit, Ecclesiarũ omnium in terris principatu digna fuit? Eiusq; Pontifex vicarius Christi appellandus? Atque proh pudor, ô Romana cæcitas, libido & audacia, contra illum purpuratũ Caietanum vt dirimeretur Regis & Catharinę contuberniũ, pro rege scripserunt eo tẽpore viri in Iure atq; Theologia peritissimi atque copiosissimi, Ambrosius Catharin°, Marian° Socinus, atq; Imola, tũ ipsa Bononiensis Academia Caietani sententiã dãnauit, admonueruntq; Papã vt ab illis approbandis

probãdis nuptijs, sibi, sediq; Romanæ caueret. Prospiciebãt enim eius nefandi negotij exitũ quod malis augurijs inceptum fuit, quasi diuinitus in Romanę curiæ dedecus ac perniciem inferendum. Sed obduruit suo malo meritoq; Pontifex, atque pręceps ad ferendam contra Henrici atque Catharinę diuortium sententiam suamq; ruinam ferebatur. Ex quo sanè iam in causæ operis tui maximę trophæo & victoria id addam tanquam Correlarium. Cum illę nuptię quas in Cardinalium cœtu & consilio approbauit Papa Iure diuino atque naturali immutabili, inuiolabili, atque vt pontificij dicere solent, indispensabili prohibitæ essent, errauit papa, non vt homo, sed vt Papa, atque se pro Christi vicario gerens. Si vt ille, cui occultò Bulla pro Comite (vt diximus) Arminach excidit, indulsisset secretò Clemens septimus, hominus lapsus esset, non papæ: nunc verò cum in sua Curia, Cardinaliumq; celeberrimo consessu id decreuit quod ius diuinum vetuit, aut ille planè errauit, aut Orthodoxi patres, legitima Consilia, eruditissimæ Academiæ, omnisq; a nobis recitata tam Theologorum quàm Iurisperitorum turba errarunt. Neque id solùm, sed ita res pendet in ancipiti, si hoc Clementis pronuntiatum cum illo Eugenij atq; Pij superiorũ, vt diximus pontificum conferatur, vt aut hos, aut illum in religionis dogmate errare necesse est. Dum hi non licere cõtra legis prohibitiones matrimonia permittere statuebant, ille & diplomate permisit, & viginti postea annis incestũ matrimoniũ sententia ratum habendũ decreuit. At quantò iustiores Iuris dispensatores erant ipsi Cæsares, qui omnia rescripta atque priuilegia quibus

Papa in iure diuino tanquã Papa errauit.

C. de incestis & inutilibus nuptiis l. fina-li,

fratris filiam vel fororis, vel eam quæ cum fratre quõdam nuptiali iure habitauerat, vxorem legitimam turpissimo consortio liceret amplecti, aut vt alia huiusmodi committerentur, viribus carere decreuerunt, ne dissimulatione culpabili nefanda licentia corroboraretur. Tum quia hęc incesta connubia a vitiosis Ægyptiorum moribus dimanasse per suum Imperium ex sacris literis intelligebant, omnem speciem eiusmodi nuptiarum sustulerunt, edicentes. *Licet quidam Egyptiorum idcirco mortuorum fratrum sibi coniuges matrimonio copulauerint, quòd post illorum mortẽ mansisse virgines dicebantur: tamen præsente lege sancimus, si quæ huiusmodi nuptiæ contractæ fuerint, eas, earumq; contractores, & ex his progenitos, antiquarum legum tenori subiacere, nec ad exemplum Ægyptiorum (de quibus supra diximus) eas videri fuisse firmas, vel esse firmandas* Quid hoc est Sandere? quàm atrox contra vestrum Monarchã edictum? Licet ne iam ducere fratriam? Immò inquis, sed non sine priuilegio. At ea tolli vides. Quid tum? Si a priori (inquis) marito fuerit integra. At ne id quidem causari posse, ne Ægyptiorum turpitudini locus sit, ex Cæsarum constitutionibus tu qui Iuri ciuili nuper operam dedisti, perspicere potes. At fortasse dices non fuisse eos Cæsares Christianos. Atque vtinam ita contaminares tuos Monarchas, vt superiores Imperij Cæsares in seruandis diuinis præceptis sanctiores quàm vestri Monarchæ viderentur. Sed in ea ætate fuerunt Christiani, qua retinuerunt penes se Reges atque Cæsares legum atque priuilegiorum omnium potestatem, nec ausi sunt vestri Monarchæ arrogare sibi quicquam. Atque vtinam saltem ad horum

Verba legis.

L. licet eod.

rum Cæsarum religionem virtutemq; respexissent, nec vt secundùm Cęsares loquar, nefandę licentiæ locum patefecissent. Agè igitur quoniam acta satis causa est, cuicta nec ne sit aliorum esto iudicium, quid tu Sandere ageres illius vestri magni Monarchæ satelles, si saltem Regulus esses, ac modicam Regionem iure hæreditario obtineres, cui de hærede legitimo præcauendum esset, si nuptijs iniustis aliorũ consilijs implicatus esses, ex quibus hęreditaria soboles tibi nasci non poterat, si nuptijs tuis religionẽ omniũq; piorum ac doctorũ consensum aduersari cerneres, si nõ matrimoniũ, sed adulterium te colere, ex eoq; spurios gigni omnes testarentur, an nõ & de legitimis nuptijs conciliandis, & de his quorũ fraude ad illicitas impulsus esses consuleres? Certè quid aliud optimus Princeps Henricus egit, diuortij causas ipse nõ quæsiuit, coniugis eum non tęduit, sed cum ab ipsis Pontificijs, vt de matrimonij sui iure inquireret, esset admonit⁹, doctos viros domi foriſq; consuluit, ab hisq; cognouit contra ius diuinũ tenuisse se multis annis fratriã, a qua cum vellet diuertere a Põtifice primò adiutus, deinde impeditus est. Ex qua varietate & inconstantia non minus de pontificis in dispensando, & in rebus diuinis potestate, quàm de Iure nuptiarum ambigi atq; controuerti cępit. Vidit se Rex solius Pontificis artibus delusum, in vetitarum nuptiarum laqueos inductum, vidit Romæ non de religione, vitæquè sinceritate, sed de ambitione, & dominandi libidine contendi, has tantas iniurias atq; contumelias inuicti animi Rex ab eo qui se Christi vicarium nominauit cum perpeti non possit, non modò iniustam coniugem, sed iniu-

ſtum paſtorem repudiauit,& ſincerã religionẽ regno, legitimamq; coniugem Annam Bollenam thalamo introduxit. Ex quo quidem ſancto & diuinis auſpicijs conciliato matrimonio ſupereſt diuina ſanè progenies Regina Elizabetha, cuius in Regno tam fœliciter cõtra omnes pontificiorum inſidias atque machinas adminiſtrando virtus, inuidia fortaſſe flagrat, & vos ita exurit, vt cum omnis alia nocendi facultas erepta vobis, eaq; diuinitus in regno conſeruata ſit, amentium atq; inſanorum more in conuitia probraq; erumpitis. Ac de regis Henrici a D. Catharina diuortio, peractiſq; cum D. Anna Bollena nuptijs ſatis diximus, nunc ad Catholicorum tuorum turbam, pauca Sandere proferam, & hæc προλεγομένα finiam.

Elizabetha Regina legitimi coniugii & ſinceræ religionis partus.

Hi quorum conſtantiam Sanderus in tueudis pontificijs partibus laudat, fuerunt primi oppugnatores Papiſmi.

25

EOrum igitur quorum in pontificijs partibus tuendis conſtantiam ſeu contumaciam laudas, duplex ratio eſt, vna eorum qui in ſententia perſeuerantes, eccleſiaſticis dignitatibus priuati, egeſtatem & vincula domi pertulerunt, altera eorum qui profugerunt, & charitati patriæ exilium prætulerunt. De vtriſq; ordine ac ſeorſim, ſed breuiter dicamus. Ac primùm de his qui domi pœnas contumaciæ ſuſtinẽt, inter quos nemo aut morte affectus, aut durius habitus eſt, immò qui in cuſtodia ſunt tam lautè vitam tranſigunt, vt ſi carceris nomẽ abeſſet, ne in familia quidem ſua quiſq; indulgere genio liberius videretur. Atq; vide Sandere, prima Satellitũ tuorũ, quorũ Edmundus Bonerus anteſignanus eſt, turma, quàm imbecillis, infirma, perfidaq;

Bonerus ad diffrendam pontificiam poteſtatem Henrici regis legatus.

fidaq; vobis fuit. Hi enim omnes a Romani Pontificis fœdere & imperio diu ante defecerunt, eiquè iureiurando renuntiarunt, & de eo ex Anglia exterminando Henrico octauo Regi authores atque suasores extiterunt. Bonerus Regis fuit ad Clementem Pontificem septimum de ea re nuntianda Legatus, orationemq; ad eum latinam in Cardinalium Romæ consessu atque cœtu habuit, in qua nullum esse Pontifici ius in Ecclesias Anglicanas tam audacter asseruit, vt cum de eo vel igne cremando, vel in plumbū liquefactum mittendo deliberaretur, prospexisse sibi clandestina fuga, celerrimèq; deuijs itineribus domum contendisse dicitur. Quid igitur, num hic coactus istud fecit? Lege eam præfationem quam Gardineri libro de vera Obedientia præposuit, leges liberi & soluti, non coacti ingenij fluentem orationem, sentiesq; nihil ei ex animi sententia fuisse magis, q̃ vt Pontificis authoritas profligaretur. Et postea Henrico mortuo cum Edwardus Rex regnum capesceret, in ea perstabat sententia, donec ob pertinaciā Episcopatu motus carceribusq; inclusus esset. Deinde cū Regina Maria Edwardo mortuo succederet, ob maternas nuptias reuocata sunt omnia rursus Romam, ac Bonerus cum his quos narras, fide data, & Iuramenti religione violatis, Pontificis authoritatem quam ante spreuerunt, receperunt. Atque eadē in reliquis omnibus fuit mutatio & inconstantia, vt quā iuramento publico diffiterentur authoritatem, postea perfidi periuriq; recolerent. Itaque eorū tā varia, atque adeo impia exempla, constantes ac bonos viros in neutram partē flectere ac mouere debent, causaq; vestræ quam tā malè sæpe

Boneri fuga.

Sandere defendis probro atque incommodo magis sunt ẽ adiumento. Poteram quidem in illis singulis singulare aliquod abiecti Papatus signum testimoniumq; ostendere, sed breuitati studeo. Vt autem cognoscatur, quo consilio tam vnanimes a Pontificis stabant partibus, tum cum illustrissima nostra Regina Regno potita eum eiecissset, audies. Initum est summum consilium quibus rationibus Reginam atque populum ab exigendo Pontifice vel planè deterrerent, vel saltem retardarent. Inter eas hæc valdè commoda visa est. Quia lege cautum fuit, omnes beneficijs abdicandos, qui Reginæ suisquè successoribus in omnibus causis sese parituros iureiurando non promitterent, atque exterorum quorumcunq; authoritates in ciuilibus vel Ecclesiasticis rebus non differerentur, statuerunt omnes iuramentum cuius formula in lege descripta fuit recusare, atque dignitati clericali cedere. Eo enim modo si totus simul Clerus loco atque ordine moueretur, fore vt cum cessarent vbiquè sacra, nec ordinari alij nisi ab his possint, vt tumultuaretur populus, & de Pontificis imperio retinendo armata manu flagitaret. Namq; protestantium quos incendio prius vastauerant, tantam paucitatem eamq; adeò despicabilem extare rati sunt, vt nequè sufficere administrando sacerdotio possit, nec populo ob humilitatem digna videri. Verùm acutos homines fefellit, immò infatuauit tam improba coniectura. Ex latebris enim & exilio prodijt doctissimorum in Theologia virorum multitudo, quos illa dura sæuaq; Mariana tempora in sacris studijs continuerunt, vt ad Ecclesiam contra Pontificiorum factiones

Quo concilio Pontificij in Anglia Regiã nuper non agnouerunt in sacris potestatem.

factiones ſuſcipiendam redirent paratiores. Hi etſi contemptui erant Pontificijs, tamen vniuerſo penè populo grati erant. Itaque cum Epiſcopatus & dignitates Eccleſiaſticæ recuſato a Pontificijs ſuperiori iuramento vacarent, iſtis doctiſſimis grauiſſimiſquè patribus, quos vos Sandere Pſeudoepiſcopos vocatis conferebantur. Quòd Pontificios tam malè habuit vt illius de recuſando iuramento coniurationis eos valdè pœniteret. Multi etiam ad iudices illis deferendis iuramentis præfectos cupidè recurrunt, contumaciam agnoſcunt, ac petunt ſibi contra Pontificem iurare licere. Illi verò qui iam dignitates amiſerant, cum eas ab Euangelicis patribus obtineri viderant, rei Romanæ calamitatem deplorabant, lugebantq; ſe tam ridiculè ceſſiſſe. Conſultius fuiſſe dicebant, ſi recuſata Pontificis authoritate loca ſua tenuiſſent, ac Euangelicos excluſiſſent, quoniam iam factum ſit, vt diſſeminando propagandoque Euangelio eorum abdicatione omnia paterent. Itaque eos qui nondum iurare renuiſſent, monent ac hortantur, ſiue iurando ſiue peierando loca retineant, ne amplius patefiat Euangelicis ad Eccleſias tenēdas aditus, tum vt ſua liberalitate ſuſtentent abdicatos. Hoc poſterius conſilium e re illorum qui Pontifici fauebant magis fuiſſe viſum eſt, præſertim cum a iuramenti fide occulta diſpenſatione Papæ abſolui & recedere poſſunt. Itaque & eorū quos tu in hac farragine nominas, multi hoc iuramentū cōtra Pontificē præſtiterunt, & poſtea cū Eccleſiarū redditibus locupletati eſſent, ad vos periuri profugerūt. Digni hi viri tuo ręconio ſunt qui inter Chriſti martyres atq; cōfeſſores

Pontificii ſua calliditate decepti.

referantur, quibus proditiones & periuria tantæ laudi tribuantur. Ac nonnulli sanè sunt quibus intolerabilem inuris iniuriam, qui cum honestè domi viuant, & legibus patriæ moribusq; pareant, tu tamen in vestræ societatis sceleriſq; suspitionem eos adducis. Quibus repetendis ne tuam garrulitatem sequar supersedebo. Iam verò profugorum duo genera nobis proponis, vnum eorum qui ob Pontificiam authoritatem, alterum eorum qui ob proditionem, & arma in Reginam suscepta profugerunt. Quorum quidem eadem est amborum ratio. Nihil enim est Pontificiæ doctrinæ magis consentaneum, quàm vt subditi a legitimi principis imperio deficerent, patriamq; proderent. Quàm multis hoc rationibus ex nostris annalibus probarem nisi cõmentariolum potius contra tuam rhapsodiam Sandere çderem, verius q̃ librum conscriberem. Sed erit etiam ei rei latius explicandæ locus atque otium.

Pontificij profugi.

**Papæ Legatos non modò Anglorum, sed Gallorũ atque Scotorũ institutis atque moribus sæpe interdictos ingressu.**

26. NVnc autem quoniam hic scopus atque finis operis tui fuit, vt concitato populo patriam perturbares, Reginam quam Dominus tueatur, deijceres, Romanum Monarcham erigeres, causam quidem, vt soles confingis leuissimam, qua coniurationis totius scelus excusares. *Cum Apostolica* (inquis) *sedes Elizabetham ab Ecclesia defecisse, totumquè Angliæ regnum ea re schismaticum factum esse videret, semel & iterum Legatos in Angliam misit, qui gentem illam ad officium reuocarent. Verùm ijs legatis, ne aditus quidem patuit, tantum abest.*

Pag. 730. lib. 7.

*abeſt vt impetrare aliquid potuerint. Quod cum ita eſſet poſt decem annorum expectatam & iam penè deſperatam emendationem : Pius quintus pontifex maximus ad vnicam quæ tam graui morbo adhiberi poterat medicinam ſe conferens, An. Domini. 1569. reuerendum Præſbyterum Nicholaum Mortonum Anglum, ſacræ theologiæ doctorem vnum ex præſbyteris qui pœnitentijs indicẽdis Romæ præerant in Angliam miſit, vt certis illuſtribus & catholicis viris authoritate apoſtolica denuntiaret, Elizabetham, quæ tunc rerum potiebatur, hæreticam eſſe, ob eamq; cauſam omni dominio & poteſtate quam in Catholicos vſurpauerat, iure ipſo excidiſſe, impunèq; ab illis velut ethnicam & publicanam haberi poſſe, nec eas illius legibus aut mandatis deinceps cogi. Qua denuntiatione. &c.* Ita quoniã Regina nõ obtẽperauit põtifici, pontifex eius imperio per legatos eximere voluit ſubditos. De hac in regnis imperijſq; tranſferendis ſuperbia & libidine Papæ antea diximus. Quæ tamen ſic deriſa atque contempta iamdiu fuit, vt mirum videri poſſit, eum qui Monarchiam tam callidè affectat, tam inani faſtu ſui odium atque riſum omnibus gentibus velle permouere. Carolo quinto Imperatore, & Paulo tertio pontifice, Hiſpani nouos Indos aggreſſi incolis denuntiarunt omnes illas Indiæ regiones a Papa dei in terris vicario Carolo Imperatori eſſe donatas, proinde vt cedant, Cæſariq; pareant iubent. Rogant hi cuiuſmodi is vicarius Dei eſſet, qui id alteri concederet quod ſuum non eſſet, itaque feri in Hiſpanos irruunt, & interfectis multis reliquos ad claſſem redigunt. Ita & quidam quõdam Romanus Pontifex Hiſpaniarum Regis ad ſe legato, nobili viro dum inani largitione gratificare vel- Ex hiſtoriis nouæ Indiæ,

let, Insulas quasdam Hisp anijs vicinas, sed a Mauris possessas. Quod ille nobilitate & ingenio clarus vir ioco faceto multoq; sale condito delusit. Non placere sibi pontificis donum ait, nisi insularum possessionẽ vacuam vnà sibi traderet. Atq; sanè vt nihil arrogantius, ita nihil amẽtius atq; stultius a pontifice suscipi potest, quàm hæc regnorum atq; imperiorum concessio, qua vna in re glorioso apud Comicum militi simillimus esse videtur, qui spiritu oris sui grandes exercitus se dixit diffiauisse. Eam enim vim si papales censuræ haberent, metuendũ Anglis iam diu ab eo fuisset. Sed vivit summa fœlicitate Regina, floretq; maxima tranquillitate Anglia, cum pontificij exterarum gentium sanguine cruenti atque madidi vndiq; nos circũstent, ac in nos tela, quæ in ipsos retorqueat Deus, vibrant. Atq; Gallorum quondam Regi cum Bonifacius octauus succensuisset, his verbis legatum eius voluit perterrere. Nos (inquit) habemus vtramq; potestatẽ. Vtiq; domine inquit legatus, sed vestra est verbalis, nostra verò realis. Quo responso sic excanduit ira Papæ, vt diceret se mouere velle contra eum cœlum & terram. Profectò hæ Iouis quondam apud Homerũ minæ fuerunt, cum de sua potestate iactitans, deos imperioso sermone alloquut° est. Si dij homineſq; reluctarentur, se tamen solũ quocunq; vellet cœlos, terras atq; maria, eosq; vnà impulsurum. Neq; sanè comminiscor Sandere aliquid, sed authores ipsos qui pontificiam colebant doctrinam profero, qui quàm ridiculos habuissent pontifices, ex illa orationis iactantia declararunt. Nam quòd eum ad summam istam sæuitiam lacessitum ais, quia legatis suis non permissus esset ingressus,

Plautus in milite glorioso.

Flor.

Legatis Romanis cur interdictus in Angliam ingressus.

ingressus,

greſſus,non id nunc primum in Anglia cõmiſſum eſt, neq; Anglia ſola in prohibẽdis pontificis legatis peccauit.Accidit hoc primò ipſorum legatorum turpitudine atq; vitio,vt dum nefariè viuerent, pecunialq; religionis prætextu congererent,incredibili ſemper fuerunt principibus,populoq; odio. Nunq̃ in Angliam venit a papa legatus,cuius arrogantia,cupiditaſq; ſingulis ætatibus a ſcriptoribus annalium noſtrorum nõ ſit grauiter reprehenſa. Quos ſingulos infinitum eſſet percurrere,aliquos tamen proferam, vt ex eorum exemplis de reliquis haberi iudicium facilius poſſit. Cum Mat. Par.
Iohanne Rege periclitaretur inteſtinis inter regem & proceres diſcordijs Anglia, Papa Innocentius oportunitatem ſequut⁹,Iohannẽ quendã Florentinũ quęſtuoſum prædonem legatum ſuum in Anglia conſtituit. Hic duobus tantùm equis regnum ingreſſus eſt, tertius enim vix gradi claudus potuit, nec equite ſed ductore opus habuit,ſed in illa ciuili diſſentione grãdem & copioſam pecuniam conflauit Deinde ne coaceruandis tantùm copijs dediſſe operam videretur, Cleri conſilium Radinghæ conuocauit,eoq; aliquandiu celebrato,cum omnes expectatione illius conſilij ſuſpenſos tenuiſſet,ſarcinulis onuſtis,& cautè ac ſecurè diſpoſitis,ad proximi maris portum properauit, & Verba Auth.
tranſuectus Angliam ſalutauit a tergo. Quid deinde de Pandulphi legatione,cui Ioannes titulum atq; di- Pandulphus.
adema Regium tanq̃ Papę procuratori tradidit,ſcriptum eſt? Indixiſſe illum generale cleri conſiliũ, in quo cum longa mora defeſſos omnes detinuiſſet,eos ſigillatim muneribus dimiſit atq; emunxit. Huic Henrico tertio regnante ſucceſſit Otto callidiſſimus quidem



Iohannes Florentinus.

Romanæ rapinæ quæstor, sed tamen cum omnes ecclesias Anglicanas Papæ tentasset efficere vectigales, summa Regis, & Stephani Langton Cantuar. Archipiscopi prudentia infecto negotio Romam reuocatus est. Sed postea cum Stephano Cantuar. Archiepiscopo mortuo, Edmundus qui ob singularem virtutem atque probitatem sanctus dictus est, Archiepiscopatū accepisset, interceſſit inter eum atque Regē grauis simultas quòd Elienoram Regis sororem ad castitatem quam vouerat, conseruandam compulisset, nec Simoni Mountford Leyceſtrensi Comiti nubere permisisset. Itaque Rex cum in ea causa vinci ab Archiepiscopo nollet, Ottonem iterum a Papa in Angliam mitti curauit, quo authore, inuito Archiepiscopo eas nuptias contra votum conciliauit. Verùm legatum illum aduenientem omnes præsules perinde atque proceres infinitis maledictis exæcrabantur, & immutatorem totius Regni vocabant. Sed improbus prædo tempus ad Regnum expilandum idoneum nactus, beneficia ecclesiastica quotiescunque vacarent, Romanis sacrificulis conferebat. Quæ hoc authore inchoata consuetò ex ecclesiasticis prouentibus triginta annua librarum millia Regno ad exteros exportauit. Conuentus præterea quos ex clero habuit, quęsturæ potius & rapinę quàm consilia dicendæ, vt ab ipso Papa reuocaretur Romam literis. In quibus eum monuit tam populum quàm clerum Anglię eius aduentu obæratum, non sine insigni Romanę sedis ignominia, proinde omissis legationis negotijs sine mora sibi Romam redeundum. Et tamen cum Regis literis ad Papam datis legationem sibi prorogasset, a-

Stephanus Langhton Cant. Arch. Sapientissimus præsul.

Otto ob rapinas ab ipso Papa Romam ex Anglia reuocatus.

lio

lio cleri consilio Londini celebrato flagitat rursus pecunias. Cui præter opinionem Episcopi responderunt. *Quod toties bona ecclesia exhausserat Romana importunitas, quod nullo modo amplius tolerarent, itaque exhibeat vos* (inquiunt) *qui inconsultò vos vocauit.* Quo dicto magno murmure frementes a consilio discesserunt. Hac tam insigni tactus contumelia Otto se in Scotiam accingit, cui aduenienti Scotorum Rex occurrit, ingressumq; prohibet. Asserit ex vicinis se Regnis accepisse Legatorum rapinas, quibus cum antea nunquam patuit in suum regnum aditus, obstare se velle huic initio & nascenti malo. Satis enim rectè & ex ordine componi posse in Scotia res Ecclesiasticas sine Papalium Legatorum interuentu. Hic Otto cum post recentem in Anglia contumeliam, repulsam etiam mox in Scotia tulisset, ingressum saltem & modicam in Scotia moram deprecatus est. Quod Rex hac tantùm lege permisit, ne quicquam innouaret, Chirographoq; suo ante discessum testatum relinqueret, illum suum ingressum non fore deinceps futuris rebus præiudicio. Sed Otto permulsis sigillatim Episcopis, & his qui Ecclesiastica beneficia tenebant, cum magnam Papæ nomine confeciisset pecuniam quasi de improuiso Rege inconsulto discessit, nec Chirographum de ingressus sui testatione reliquit. Et in Angliam reuersus nouis indictis synodis ac mille fraudibus pecunias extorsit. Cum Papa Anglorum clamoribus actus eum ob auaritiæ infamiam iterum Romam reuocasset, a Rege ipso ad portum tubis clangentibus deductus est. Thesauri ingentem copiam exportauit, omniũ diris & exœcrationibus affectus.

Verba Math. Paris. "

Ottonis in Scotiam expeditio ac repulsa.

Ottonis ex Anglia discessus.

Verba author.

fectus. Sed cum traiecisset, & multa itinera confeciſſet, a prædonibus Imperatoris captus atque ſpoliatus eſt, *factus de prædatore præda iuxta Prophetam. Væ qui prædaris, nonne & tu prædaberis?* Atque hic quidem vnus ex nobiliſſimis Legatis veſtris Sandere fuit, de quo tamen vides quid trecentis antea annis a Monachis ipſis religioſiſſimis ſanè Pontificiæ doctrinæ cultoribus ſcriptum ſit. Nam ſi reliquam impuram ſordidamq; turbam proferrem, volumina multa complerem. Itaque vt ab his primis ad vltima exempla omiſſis medijs tranſeamus. An non nuperrimè Paulo quarto Pontifice excluſus fuit Anglia Mariæ Reginæ

Polus a Paulo 4. legatione abdicatus.

iuſſu eius Legatus? Cum abrogata Polo Cardinali & Cantuarienſi Archiepiſcopo Legatione, eum Romam accerſiuit? & Gulielmum Petum Franciſcani tum ordinis atque inſtituti religioſum, Cardinalem ſimul & Angliæ Legatum deſignauit? Itaque Regina

Regina Maria vetuit ne pontificis nuncii, vel literæ in Angliam inferantur.

quæ Polum vnicè obſeruauit atque coluit, de hac re Oratoris fui qui tunc Romæ erat, clandeſtinis literis certior facta, vehementer commota & perturbata, re tamen tota Polo occultata, iubet ne cui Romam venienti traiectus in Angliam pateret, & ſi quæ literæ afferantur, hæ tabellarijs ademptæ ſibi traderentur, neue quis Gulielmo Peto Cardinali & Legato deſignato verbum vllum de ea re nunciaret. Cuius quidē rei ſi teſtes cupis, quære a Cardinale Morono ſummo tuo profugorumq; patrono, quem idem Paulus Pontifex carceribus incluſit, Polumq; ideo Romā citauit, vt accuſatione obiecta cum eo etiam in vincula duci iuberet. Cur igitur ille Paulus quartus Mariam non excommunicauit? cur hæreticam non pronunciauit?

nunciauit? quia Legato ſuo aditum prohibuit, ſuæq; voluntati reſtitit, qui illud vnum ſpectauit, vt ſiue iure ſiue iniuria Polo incommodaret, graduq; atque dignitate deijceret. Priorum enim Legatorum improbitate effectum eſt, vt in Anglia lege liceret Pontificis legatos etiam tunc excludere, cum rerum Eccleſiaſticarum obtinerent poteſtatem, tum ſi quis ſine principis venia Legatinã authoritatem ſibi a Pontifice mandatam ſuſciperet, gereret, aut exerceret, hac pœna teneretur vt bonis ſuis proſcriptis & fiſco adiudicatis, ipſe carceres duraret æternos.

**Gallos ædidiſſe magis famoſas Leges in Papam, q̃ Anglos, habereq; ſuã Pariſienſem Curiam etiam in rebus diuinis Romana ſuperiorem, ad eam enim a Romana poſſe appellari.**

NEq; Angli ſolùm ſed & Galli de coercẽdis Pontificis Legatis leges ſancierunt. Proſcriptione vetitum eſt quẽpiam pro Pontificis legato ſe gerere ſine mandato Regis, tum vt legati poteſtas nõ a Pontificis diplomate ſiue recitato, ſiue in acta publica inſinuato, ſed ex quo ipſe a Rege except⁹ ſit, incipiat. Et quoniam tu Sandere, dum in Anglos Germanoſq; intemperantius inueheris, Gallos adeo laudas, proferã ſanè ex eorũ legibus ac decretis municipalibus quædã contra Pontificẽ Romanamq; curiam multò atrocius atq; cõtumelioſius lata, q̃ apud nos, qui exacta eius authoritate probrũ ei tamẽ publicis legibus nunq̃ fecimus, ædita vnq̃ fuerunt. Cum Bonifacius. 8. Pontifex qui ante Benedictus appellabatur, minatuſq; eſſet Regis Galliæ (vt diximus) legato, mouere ſe velle cõtra illũ cœlum & terrã, Bullã excõmunicationes fulminantẽ

27.

Placit. Curiæ Par. lib. 1. tit. 4.

Gallorum in Pontificiam poteſtatem leges.

Bonifacius octauus.

in Gallum promulgasset, ea in Curia Parisiensi famosa iudicata, & pro tribunali in ore atque oculis omnium discerpta fuit. Sic ne cum Apostolicis (inquis) literis agere Gallum oportuit? Quid tum? Decretum inde fuit vt Pontifex ab Antistitiorum aliorumq; sacrorum beneficiorum fructibus quos primo cuiusque creati antistitis anno percipere solebat, temperaret. Hoc Parisiensis Curiæ placitũ postea in dubium vocabatur, quasi iniquis temporibus expressum, & eo schismate interpositam, quo tres Antipapæ de suprema potestate contendebant, ideoq; reuocandum, quia in Ecclesiæ Romanæ detrimentũ latum fuit. Sed tamen contra sentientium opinio præualuit, vt quale id cunq; fuit quod tunc iudices permouerit, numini diuino ascribendũ sit. *Christus enim* (inquiunt) *Pontifex optimus maximus terras iam iam relicturus, & ad patrẽ rediturus, Petro quem cæteris animo vehementiorem compererat, & in cuius persona, omnibus Apostolis horumquè successoribus germani atque absoluti Pastoris idæam exprimere volebat, oues suas, quas sanguine suo redemerat, pascendas non ante cõmisit, q̃ ab eo sui ter amorem stipulatus esset, vt ostenderet in has a Petro declarandum, quanti Dominum faceret, quem sibi ter charum professus fuisset, pastoremq; agendum non Dominum, & pascendas vt seruaret, non mactandas aut deglubendas vt perderet. Sed postea venère (quod & tum Dominus subindicabat) qui (proh dolor) non ipsius amore, sed rei suæ causa, custodiendi populi Christiani prouinciam subirent, immò verò inuaderent, & non modò pastoris, sed & serui seruorum Dei nomen prætexentes, tyrannis interim ac prædonibus (si dicere fas est) fere nihil essent absimiles.* Quæ

Verba Placiti in eodẽ loco.

sanè

sanè vox vt Romani pontifices tyrannis ac prædonibus compararentur, etsi in sacris suggestis frequentatur, publicis tamen Regni nostri legibus prorsus est incognita. Cur igitur in nos magis quàm in Gallos pontifex sæuiret? Cur tam famosas in se leges ibi ferri patitur, vbi ex omnibus se gentibus maximè coli diligiq; putat? Cur eas abrogari aqua & igni, cœlo atque terra interdicendo non imperat? Verùm & maior Gallorum in se contumacia, quàm Anglorum compescenda pōtifici fuit, nisi in se magis quàm in illos perturbari cælum & terram prospiceret. Idem enim Bonifacius pontifex librum sextum Decretalium legum edidit, & per totum orbem Christianum obseruari præcepit, qui a cæteris gentibus receptus, & in Anglia vt iuris ecclesiastici pars adhuc retentus, a solis Gallis ignominiosissimè reiectus & repudiatus est. At inquies Galli nō penitus defecerunt, nō pontificē spreuerunt, eius potestatem non exterminauerunt, summum pastorem, Christiq; vicarium agnoscunt, in rebusq; diuinis ei parent & obsequuntur. Ita scilicet prout eis expedire viderint, atque libitum sit. Nam si penes eum statuunt Galli summam ecclesiasticarum rerum potestatem, ad quem suprema defertur appellatio, probabo Gallorum Sandere, legibus Parisiensem Curiam in rebus ecclesiasticis esse pontifice, & Romana Curia superiorem. Hoc enim in illorum legibus scitum est. *Quoties summus pontifex quidpiam in perniciem ordinis ecclesiastici, vel religionis Orthodoxæ imminutionem statuit, licet ab eo statuto vel decreto tanquam ab abusu prouocare.* Itaque cum Pontifex quidam Romanus rogatis etiam fratrum Cardinalium sen-

Liber sextus decretalium.

Enchiridion iuris scripti Galliæ in tit. de abusu.

tentijs inſtitutum equitum religioſorum diui Lazari, cum inſtituto eorum qui diui Iohannis ab Hieroſolymis appellantur, coniunxiſſet ſeu vniuiſſet: Galli ad Curiam Pariſienſem appellarunt, & Papæ vnionem reſciderunt. Et abuſum quidem a quo appellare ſolēt ſic definiunt. *Cum Romanus pontifex, aut Præſules vel Iudices eccleſiaſtici, quidpiam in perniciem regiæ vel laicæ Iuriſdictionis, vel priſcam Franciæ immunitatem atque libertatem, vel aduerſus decreta ſynodi Baſilienſis, vel aliorum huiuſmodi conſiliorum, vel ſuorum etiam in eccleſia maiorum & patrum ſanctorum, vel regias conſtitutiones, vel ſupremarum Curiarum Senatuſconſulta & placita ſtatuunt, vel moliuntur.* Hæc præclara quidem eſt Gallorum pontifici ſubiectio, qui eius decreta ſiue in diuinis ſiue in humanis rebus, quotieſcunq; libuerit, non generalis conſilij, neq; prouincialis quidem, ſed Pariſienſis tantùm Curiæ authoritate reſcindent. At multò maior honos a noſtris pontifici ſemper eſt habitus, qui ad eius authoritatem ſiue minuendam certiſq; finibus concludendam, ſiue eijciendam atq; profligandam, principis anthoritate, procerum & præſulum preſentia, populiq; conſenſu ſemper vſi ſumus. Galli eam ita deſpiciunt floccíq; faciunt, vt eius acta a Forenſibus Iudicibus coram Leguleis irrita decerni permittunt. Quid opus fuit Gallo papæ poteſtatem excludere, cum eam ſuis ſeptis terminiſq; teneat: eamq; pro libito dilatare & contrahere poſſit? Si quid enim pontifex decreuerit, non prelatos Regni ſui conſulit, ſed ex Pariſienſis Curiæ decreto ratum irritumue ſtatuit, quo quid fieri poſſit ad eius dedecus infamiamq; turpius? Itaque quoties te Sandere lego, de Monarcha

Abuſus quid in iure Galliæ.

cha Romano verbis magnis illis quidem & excelsis prædicantē, fucum quidē & magnificentiam Orationis tuæ non admiror, sed subrideo sæpe, & cum eum qui a cunctis penè gentibus adeo spretus contemptusq; sit, tantopere à te laudari animaduerto, videre mihi videor Thrasonem Terentianum, Regem suum celebrantem, & Gnatonem respondentem.

*Hui, Regem elegantem narras.* Terentius in Eunucho.

Sanderi Catalogus non Christi, sed Papæ Martyres atque Confessores continet.

ATq; hic ille est cuius causa deserendam patriam, deuouendam Reginam, & in præsules nostros adeo insulsis & scurrilibus libris debacchandum esse putastis. Non tu hos profugos atq; Regni proditores quòd Christo, sed quòd Pontifici adhærent laudas: Feltonus & Storeus inter sãctos refers martyres, cur? quia Christum prædicabant? quia Euangelium denunciabant? nequaquam. Cur igitur? Quia ille diploma pontificis ad populum in Reginam concitandum promulgauit, & legũ antiquarũ sentẽtia dãnatus, morteq; crucis affectus est: hic quia priuatarum multarũ coniurationũ author fuit, seq; a legitimę principis imperio subduxit, & externi regis authoritati subdidit. 28. Feltonus. Storæus.

Quàm impia, & omnibus Repp. pernicioſa Storæi ſententia fuit, cum licere dixit ſubditis, a natiui Principis ad externi imperium recedere.

EXempla sanè profugis & perduellibus digna, sed Christianis & his qui iure gentiũ vtũtur inaudita, Regnis verò, imperijs, principib°, ipsiq; adeò humanæ 29

ſocietati quæ non alio magis vinculo quàm legitimè parendo, & imperando continetur pernicioſiſſima. Quid enim ille verſutus præſtigiator cum variarum coniurationum reus cauſam capitis pro tribunali dicere iuberetur, pro ſe adferre aliud potuit, quàm licere ſubditis principum ſuorum nexu poteſtateq; ſeſe quãdocunq; vellent eximere atq; liberare, & ad alteros etiam ſi libeat hoſtes conferre. Hoc profugus & arcani illius pontificij iuris peritus, quod omnia iura ſoluit, dicere potuit. Theologus verò aut in iure ciuili gentiumuè verſatus, niſi contra fas omne obduruiſſet quî potuit? Per me enim inquit dominus Reges imperant: at quibus? his inquit Storeus, quibus nulla obtemperandi impoſita eſt neceſſitas. Principes enim non Dei iuſſu, ſed populi ſcitis creati ſunt, a quibus deficere eoſq; deijcere cum velint poſſunt. Hoc ante eum etiam Hardingus in Iuellum Sariſb. Epiſcopum ſcripſit. Edocti vtriq; in eodem ludo pontificio, vbi nihil ſancti in Regibus colendis acceperunt, ſed eorum iura pontificis libidine violare didicerunt. Atq; Storeus quidem iure ita inſtitutus fuit. *Cum lex regia de principis imperio lata eſſet, populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem conceſſit.* Itaque cum populus abrogata ſibi omni authoritate in principis ſe dedit ac permiſit manum, miror ex quo iuris fonte Storeus hauſerit adhuc eſſe in poteſtate populi principi necne obedire velit. Iura enim domitos non effrænes ſubditos faciunt, quibus principes relaxant atque contrahunt, non penitus concedunt fræna. Nam cum omni iure ita comparatum ſit, vt liberi atque ſerui in parentum dominorumq; poteſtate permaneant,

Iuſt. de iure nat. gentium et ciuili § ſed et quod.

neque

neque eam nisi emancipatione atque manumissione certisq; vijs non arbitratu suo exeant, modus quidem iure exprimitur nullus quo liberari subditi a principis potestate possint. Arctius enim est illius imperij & obsequij vinculum, quàm vt iure dissolui posse videatur, tantum abest vniuscuiusq; quod Storæus voluit voluntate dirimatur. Iure igitur & coniurationis, & improbæ nefariæq; sententiæ pœnas in tam illustri supplicij genere dedit. Cuius anteactam vitam si proferrem, martyrem tuo sanè Sandere præconio dignum celebrarem, sed ex hac deprauata quam sectabatur hæresi, & flagitioso vitæ exitu de antegressa vita facilis est coniectura. Spectatores & testes sui digni supplicij & permultos & clarissimos habuit, vix vnq̃ cuiusquam latronis aut proditoris patibulum tam insigni nobilium, & fræquenti omnium ordinum corona circundabatur. Inter quos cum tu Cecilium solum nominas, quo id consilio facias existimare non est difficile. Illius viri perennis lucubratio, assiduumq; in patria a vestris insidijs defendenda studium, vos Sandere nõ minus exurit maleq; habet, q̃ Demosthenis quondam vigiliæ aduersarium quendam tunc Athenis suum excruciarunt. Qui Demosthene acriter perorante cum dixisset illam orationem Demosthenis vigilias & lucernam redolere, responsum hoc accepit ἐκκαίω σε λυχνῳ.

D. Cecilius ex omnibus consiliarijs max. Sandero et Pontificijs displicet.

Ita Cecilij nostri viri ad incolumitatem patrię nati, diuinituſquè instructi sedulitas & perspicacia vobis maximè odiosa visa est. Eius verò cum innumeris alijs in contemplando Storæi proditoris supplicio præsentia vos ideo læsit, quia eum cuius saluberrima con-

silia nullis dolis ac insidijs anteuértere potestis, ad similem ante illũ diem necem, si furores atque cõspirationes vestræ prævaluissent designastis. Verùm fraudes & consilia vèstra nota atque patefacta sunt, visquè fracta & debilitata, vos tamen quos insania vexat tristissimi euentus ruinæ atque calamitatis patriæ expectatione tenemini, ad eamq; retinendã dilationes indies nouas statuitis, & per occultos exploratores edicitis confœderatis. Etsi quod expectastis præscripto tempore non successit, fore tamen vt alio tempore designato contingat. A qua mentis perturbatione & errore, si neq; diuini tremor iudicij, nequè patriæ charitas, nec debitum clarissimæ mansuetissimæq; Principi obsequium reuocare potest, eas scelerum pœnas sentiatis, quas vestri similium in Anglia semper tulit exitus proditorum, vt viuos exilium atque carceres, mortuos cruces atque furcæ, deinde Gehẽna teneat. Patria verò quam oppugnatis, sit Deo protegente libera & tranquilla, Regina cuius vitæ tam immanes struxistis insidias, sit incolumis atque salua, adeoquè longœua, vt cuiusuis anteacti Regis Imperij diuturnitatem adæquare vel superare possit. Ecclesia sit pijs nostris patribus atque pastoribus ita suffulta, vt nequè vestri Monarchæ, nec reliquorum Satanæ ministrorum impetus atque dolos reformidet. Consiliarij sint fidi vestrorum facinorum indagatores, atque cauti anteuersores fraudum. Proceres ad vos debellandos, & repellendam vestram vim, paratasq; copias fortiter se accingant. Populus in officio obsequioq; principis, in pastorum obseruantia, & Magistratuum cultu constans integerq; persistat. Respub.

tota

tota Reginæ, patrum, procerum, & populi conſpiratione & conſenſu ita colligata atque confirmata, proditores omnes atque Pontificios eijciat & expellat: vt æterno Deo eiuſq; Chriſto, profligato Antichriſto ſemper ſeruire poſſit.

Peroratio, ſiue operis concluſio.

ATque hæc quidem de Anarchia Romanæ Eccleſiæ, ad euertendam eius quam Pontificij erigunt Monarchiam, duobus commentariolis præfati ſumus. In quibus etſi pleraque ad Sanderi calumnias refellendas reſponſa ſunt, ea tamen ita coacta atquè prouocata fuerunt, vt omitti ſanè non modò ſine turpitudine, ſed ne ſine ſcelere ac flagitio potuerunt. Theologorum iam adeſt ad reliqua redarguenda opera atque facultas, quibus cum in ſuis copioſiſſimis Academijs, tum omnibus in vrbibus atque ciuitatibus abundet atque vigeat Anglia: obrui non modò Sanderum ſed omnes etiam Pontificios neceſſe eſt, ſi concors etſi non omnium (quod ob naturalem hominum ad diſſentiendum facilitatem difficile eſſet) ſed plerorumq; (quod ſperamus) ſententia foret. Vtrinque enim infeſtata eſt Anglicana Eccleſia, a domeſticis atque peregrinis. Domeſticos verò non hoc in loco habemus, etſi paſſim latent, Pontificios, ſed eos qui adumbrata Chriſtianæ religionis ſpecie, cæteris candidiores haberi vellent. Peregrini autem ſiue domi occultantur, ſiue foris peregrinantur, ſoli ſunt Pontificij. Inter has inimicas partes ab vtra magis Eccleſia Anglicana concutiatur, incertum eſt. 30.

Nam a Pontificia factione expectantur ista: Insidiæ, perfidia, vastitas, ac ruina. Ab altera, quod siue in Ecclesia, siue in Rep. est grauissimum modicis ac pusillis de rebus intestina & periculosa discordia. Ita dum ab vtrisq; cauendum, neutri sanè fidendum. Ne dum hāc μοναρχίαν vitauerimus, ἐθελοθρησκείαν quæ nō minus est vitiosa induxerimus. Neq; enim aliud quicquam est in quo Pontificiorum contra nos magis exultant conuitia, quàm quòd curiosorum hominum nugis in tam varias partes distrahatur Ecclesia, eiusq; perturbationi atque rerum nouitati tam cupidè ab ignaris adolescentulis studeatur. Et quamuis ipsa Pontificia superstitio scholasticis suis factionibus secum ita dissideat, vt de nostris dissentionibus criminari iustè non possit, tamen vt Græcorum Heroes secum altercantes, diuturna expugnatione fracta peneq; superata derisit Troia, vnde quod est apud Homerum,

Homer. iliad. lib. 1.

ἦ κεν γηθήσαι πρίαμος, πριάμοιοτε παῖδες.

Ita in sui Regni ac Monarchię exitio Pontificij nullius magis criminis infamia nos aspergunt, q̃ quòd perexiguis & minutis de rebus tam grauiter inter nos peneq; hostiliter decertemus. Quibus calamitatibus dum nos inuicem affligimus, instare falsò putant non modò literarum omnisq; diuinæ ac humanæ cognitionis interitum, verumetiam Ecclesiasticæ nostræ rei ruinam & excidium. Itaque nihil prius & antiquius nobis esse debet, quàm vt amotis præfractis illius improbę factionis authoribus, tum depositis mutuis discordijs, abiectisq; nugarum & ineptiarum controuersijs coniunctis viribus solos Pontificios (qui sanè nō leuiter, sed eruditè nobiscum contendunt) oppugnemus,

mus, & acri diuinarum atque humanarum literarum ſtudio doctrinaq; animos recolamus, ex qua ſuppeditari nobis poſſit prompta & copioſa contra Pontificios, quoties laceſſiti atq; prouocati ſimus dicendi ſcribendiq; facultas. Ita ſub Auguſtiſſima fœlicíſſima què Principe, ELIZABETHA, & grauiſſimis prudentiſſimiſq; patribus Eccleſiam Anglicanam non modò ab externis pontificiorum iniurijs, ſed ab inteſtinis periculis in εὐταξίᾳ integram tutamq; retinebimus. Id quod æternus ille gregis Paſtor D. Ieſus cõcedat, cui ſumma tribuatur cum Deo Patre, atq; Paracleto per ſecula infinita gloria. *Amen.*

*FINIS.*

## ¶ Errata.

| Pag. | Lin. | Errata. | Emendatio. |
|---|---|---|---|
| 19 | 10 | ennuntiatis | enuntiatis |
| 35 | 14 | gloſſas | gloſſa |
| 40 | 15 | fratri | frati |
| 42 | In marg. | pietatem | poteſtatem |
| 44 | 14 | decimum | decimum tertium |
| 202 | 18 | conſueto | conſuetudo |